JOANNIS BISSELII,

è Societate JESU,

AD

MEDULLÆ HISTORICÆ

SEPTENNIUM II.

APPENDIX

Anni M. DC. XIV.

MARIÆ STUARTÆ,

Viventis, ac Morientis,

ACTA.

Permissu Superiorum.

AMBERGÆ,

Apud JOANNEM BURGER.

Anno M. DC. LXXV.

MARIÆ STUARTÆ,

Viventis ac Morientis,

ACTA.

I. ANnus hic, iſtius Sæculi *decimus quartus*, non rapuit è vivis Scotiæ reginam, MARIAM STUARTAM (utpote, jam pridem ab *annis viginti ſeptem* neci tumulóque datam): ſed is eô quoque nomine celebris eſt, quoniam hic demum Filii-regis tenerum erga cineres maternos affectum exhibuit, quo debitîs eam, è qua vitam hauſit, honoribus afficere cœpit; dignioribus aliquantò, quàm ejus *Heroidis* inimici voluiſsent, *titulîs* illius memoriam repoliendo. Sed, quantulum hoc eſt, erítve, poſteritati? niſi pleniùs, quanta fuerit illa Virago, vivens moriénsque, noſcatur, & inclareſcat?

Et ego quidem, nec iſtius, nec proximè ſuperioris ætatis, (ad cujus cæteroquin annos ordinè, rectàque, pertineret) unquam eam *Ruinis* accenſuiſsem. QUIS enim *cecidiſse*

dicat, eam, quam *casus* ipse nubibus *altiùs* evêxit? Sed id animo decretum jam olim gerebam; *Vita Mortisq;* STUARTÆÆ *decora memorabiliora*, non penitùs intacta relinquere: quantumvis & ab aliis ante me compluribus haud infacundè celebrata. Quod enim in nemore verno cecinerunt annîs antegressîs *acredula*; non prohibentur & posteræ, carmen & canticum iterare: si non, ut ampliùs placeant; at ideò saltem, ne penitùs taceant; & elingues æstimentur.

Id igitur ego spectans; quoniam jam antehac, *annô* propemodum abhinc *nonô*, de *Mariæ Stuartæ* laudibus palàm aliquoties verba feci (1): nunc sermonum illorum narrationúmque summam, in hunc Sæculi nostri *quartum decimum* annum confero. Quo factô palàm fiet, quantô pietatis jure *Jacobus*, Magnæ Britanniæ *rex*, in *apothéosi* quodammodo, certéque *Translatione*, præstantissimæ Genitrici suîs in terris exhibendâ, malevolorum ejus insectatorum torrentem refregerit; & contrariîs laudibus Dirarum illius fremitum elinguârit.

II. Ut ad narrationem igitur accedamus: In lucem edita MARIA STUARTA fuit,

fuit, annô Sæculi superioris quadragesimo secundo, die septimô Decembris; ac pridie scilicet illius, qui *DEI-Genitrici Concepta* sacer apud *Orthodoxos* est (2). cujus proinde *Virginis*, vel ideò quoque, sortiri nomen hæc puella regia debuisse videbatur.

Stirps ei *Stuartorum*, regia: pater, *Jacobus*, nominis ejus *Quintus*, Stuartus; ordinis autem regum Scoticorum, à Fergusio Primo descendentium, Centesimus Quintus. (3) *Mater* verò, *Maria*; princeps, pietatis erga Deum, prudentiæque, laude singulari conspicua, vetustôq; Gvisiorum in Austrasia Ducum sanguine progenita. *Patris* porrò tam ardens extitisse puræ, veterísque, *Religionis* studium perhibetur: ut partim monachos apostatas, partim prolapsos in hæresin profanos mortales quosdam, exurendos flammis vivos, spirantésque, tradiderit: nonnullos autem regnô terrísque Scoticis procùl ejecerit. quorum in numero, constat, & *Georgium* illum fuisse, *Buchananum*; psalmorum Davidicorum paraphrasten lyricum, & historiæ posthæc Scoticæ virulentum conditorem: eóque nomine, nunquam non deinde memoriæ Stuartæi nominis, in MARIÆ gestis, infensum, a-

ac propterea, ſuapte quoque confeſſione, mendacem. (4)

III. Cæterùm, qui dies infanti *Stuartæ* fuit *octavus* vitæ; fuit idem infantis genitori, *Jacobo Regi*, ſupremus; lege naturæ ſubrelato. (5) Quòd autem maſculæ ſtirpis, è rege Stuarto, Mariâque Lotharingicâ, nihil vel ortum, vel ſuperſtes, comparéret: Ordinum regni concordî ſententiâ, corona regia, ſceptrúmque Scoticum, ad virgunculam pupillam, octo non plus menſes natam, & in cunis quieſcentem, magno populorum applauſu deferuntur. Inaugurabatur, & regnum incipiebat, quæ lac adhuc trahebat; matri *Gviſiæ* tantiſper, de Prócerum voluntate, traditâ Regiminis adminiſtratione; quoad in maturas regni curas, & annos, adoleſceret puella Regina. Cùm eſset autem (ut omnes conſenſu ſummo Scriptores tradunt) parvula *Stuarta*, jam tum à teneris, electiſſimæ, non modò ſpeciei corporis, ſed habitudinis etiam animi; ſeſéque quaquaverſum prodentis ingenii: non dubitabat, à Summo Pontifice legatus in Scotiam miſsus, *Patriarcha Venetus*, perpensîs adoleſcentulæ dotibus his, verbîs eam graviſſimîs palàm, *Indolis Cæleſtiſſimæ* Prin-

Principem, pronuntiare. Quibus laudibus, cùm, ætatulâ procedente, formæ quotidianúm accederet incrementum, tam ingens; ut ætatis suæ nullam non speciem superare muliebrem crederetur: fiebat item, ut faciei decus illud multò commendatius adhuc redderet incredibilis sapienter loquendi vis, & eloquendi suavitas, atque gratia. (6) Quibus, aliîsque rebus talibus, efficiebatur: ut ea juvencula plerisq;, quovis Christiani nominis Imperiô non digna modò, sed ad id nata factáq;, videretur. Id verò, *Catholicis* præsertim, auditu creditúq; tantò jucundius accidebat: quantò, superiùs modò prædicatis, pulcritudinis ac morum ornamentis, superaccedere quoque sentiebant, & videbant, *Religionis* avitæ, *Romanæq; Cathedræ*, tam ardens in ea studium, támque reverens obsequium; ut in his neque *patri* suo, neque *Regum* ante patrem *octoginta duorum*, continuâ successione Catholicorum, cujquam ullâ parte cederet.

IV. Sed in hujus *verè-regiæ* laudis, per posteros quoq;, propagationem intentæ Matri, præparanda tempestivè nuptiis MARIA Stuarta; nuptiæ verò, generosâ Virginis educatione præsternendæ, sub quotidianis Aulæ

Maria Stuarta.

nobilis inſtitutionibus, erant. Eâ permota ratione, *mater*, Scotiæ (ſicut diximus) *adminiſtratione* fungens, eam, vixdum etiam ætatis *ſextum* annum exorſam, transmarinas in terras, ac, per Galliam demum vectam, in Lotharingicam Gviſianæ domûs ſedem gentilitiam, ablégat: univerſis artibus, ac diſciplinîs ingenuîs puellarum *Principalium*, imbuendam, & excolendam. Ibi MARIA, non acu modò pingere ſcientiſſimè, ſed ſex quoque linguîs diſtinctîs verba facere, ſtylúmque ducere, didicit: præ cæteris verò peritiùs, Latinè Gallicéque, nec non Italicè, loqui callens, & Hiſpanicè; Scoticam diſſimulare peregrinitatem artificiosè nôrat.

V. Ex hac porrò morum artiúmq; Scholâ *Gviſianâ*, poſtquam *decimum ſextum* jam ætatis annum agere cœpit, educta MARIA; póſtque complures alios, conjugii ſui competitores regios, votorum ſuorum irritos, Henrici II. Valeſii, Galliarum Regis poſtulatu, deſponſa *Franciſco Valeſio*, Delphino Galliarum, & nempe, Regis ejuſdem filiorum natu maximo: ſub annum Chriſti milleſimum quingenteſimum quinquageſimum octavum, è Lotharingia Pariſios evocatur. Eò deducta, nu-

ptiîs

ptiîs ſollemnibus ſponſo collocatur; ac, non ità multò pòſt Rege ſocero, lancearum in ludo, vulnus & mortem incurrente; cum hærede regni, maritô, Galliæ regnum, conſuetîs ornata Reginarum Inſignibus, adit: etſi poſseſſione, parùm diuturnâ. Cùm enim, annô Sæculi ſuperioris quinquageſimô nonô, ſceptrum & coronam, cum titulo *Chriſtianiſſimæ*, ſuſcepiſset: annô mox *ſexageſimô primô*, die Decembris quarto, deceſsu chariſſimi conjugis (7) effecta Vidua, peplum capere lugubre, cum Sunamitide Davidicâ, compellitur; non minùs ipſa juvencula, quàm *Abiſága* (8): nec fertilior illa, quàm iſta. Finierat enim *Franciſcus* hic *Secundus*, necdum *vicennis*, (9) & ſe pariter, & ſecum poſteritatem ſuî: nullâ relictâ prole. De cætero, mortalitatem quidem *Aureliæ* deponebat; in omni verò Gallia, Catholicôq; terrarum orbe, ſuæ bonitatis immortalem poſt ſe memoriam relinquebat. Ipſum autem ægriùs mortalium nemo, quàm uxor *Maria*, reliquit: par parem, adoleſcentem juvencula; præſtanter pium, & orthodoxum, ipſa, pietatis, & incorruptæ religionis, mirificum exemplar. quod denique conjugiorum caſtorum nodus

Maria Stuarta.

est, affectûs mutui magneticus; *Amans amantem*. Sed mos gerendus Dei, naturæque, legibus fuit: & alterius ab altero toleranda divulsio. *Franciscus* in locum, Aureliâ, (dubiô procùl,) amœniorem: *uxor*, aliquousq; Rhemos primùm, in Campaniam; dein, ad suos in Austrasiam, invitante consangvinitate, festinârunt.

VI. In Austrasia porrò *Stuarta* non ità multùm commorata, cùm vitæ jam *vicennium* agere cœpisset; auditâ sub idem tempus Mariæ matris, Scotiæ gubernatricis, morte; reverti suúmmet in regnum, ne vicariâ rursus opus administratione foret, constituit. Per nuntios ergò litterásque præmonitîs, super reditu suo, Scotorum optimatibus; Britannicum intrat fretum: Angliæq; prætervecta litus, Ortui Solis oppositum; *Letham* advehitur, Scotiæ Meridionalis oppidum. (10) Ibi rerum regionúmque Scoticarum mirificam invenit, in profanis æquè sacrísq;, mutationem; longéque sanè diversam ab ea, quam è Scotia Galliam petens reliquerat, faciem. Caussa (sicut ubiq; ferè gentium) squaloris omnis, *corruptela sanæ religionis*: & corruptorum-ejus propugnator, ac præsidium, *unus unicè nequam*.

Appendix, ad Annum 1614.

quam, & ſceleſtus, homo. Cujus originem, & audaciæ progreſsum, intereſt, vel paucîs in conſpectum dari.

VII. Genuerat è concubitu, legibus interdictô, pius cæteroquin, & ſacrorum veterum tenaciſſimus, JACOBUS quintus, Scotiæ rex, Mariæ Stuartæ (ſicut in ſuperioribus dixi) pater, dudum ante *Mariam*, è legitima ſuſceptam, præter *Joannem*, ac *Robertum*, alium quoque *filium*: cuj *nomen* ipſe, *cognomentúmq;* ſuum, imponi, nimiâ quadam (ſicut prudentibus viſum erat) indulgentiâ, ſuſtinuit. (11) Quid enim *ſpuria*, qualia divinus codex (12) nominat, *Vitulamina*, faciunt in *Arbore Conſangvinitatis* regiæ? fructus, in ſolam ſatoris ignominiam penduli; citóque defluxuri. cujuſmodi JACOBUS hic STUARTUS fuit; agnomine vulgarî *Nothus*: malitiâ verò, finéque tetrô, totâ Britanniâ famoſiſſimus. Hic, (ità curante procurantéque patre, rege Scotorum,) beneficiis aliquot donatus Eccleſiaſticîs, ut Florimundus tradit: inſuper, adoleſcentiæ primîs annîs, ſuâne potiùs, an alienâ voluntate? celebre *Sant-Andreanum*, in urbe nominis ejuſdem, monaſterium eſt ingreſsus: &, (quod

è Scri-

Maria Stuarta.

è Scriptoribus appáret illis, qui *Monasticæ* postea *familiæ desertorem* eum nominârunt,) votîs Ordinis illius sollemnibus se DEO dicavit. Sed eidem Ordini sese posthæc, ubi solitudinis eum tædere cœpit, per transfugium rursus subduxit, & eripuit: quantumvis jam *Prioris* ipse dignitate pollens: in qua nempe, minùs arctè se, quàm subjectos sibi, tractare consuêsset. Indè *liberior* ei *vita*; *quaq; subsequi solutiorem disciplinam amat, ab Religiosis institutis defectio*. Quâ tamen ille perfidiâ non contentus; post abjectum cucullum, etiam *Catholicæ*, quam antehac professus fuerat, religionis studium, & obsequium, ejuravit: regnô deinceps totô, velut profanus, & *apostata*, sectariúsque, circumvolitans. Et certè, quos in hac impietate sequeretur desertor hic, non deerant: quippe, *Scotiâ* jam, ex *Angliæ* vicinia tractâ tabe, quantum rivîs & amnibus, tantùm *hæresum* doctoribus, ac discipulîs, inundatâ. Tales hos, potentissimus quisque Prócerum, proptereáq; majoris impunitatis fiduciâ petulantior, omnî favore gratiâque (*Puritanos*, inquam, *& acatholicum* omne nomen,) fovebant, & animabant. Quos tamen universos tunc, utpote factio-

factioſorum omnium vexillifer, *Jacobus* antecedebat *Nothus* : qui, ne ſinè cauſſis gravibus excuſſiſſe monaſticum jugum, & Eccleſiæ Romanæ conſortium, imperitis videretur; graviſſimîs in utrumque ſæviit & odiîs, & cladibus. In *Mariam* autem ſororem ſuam, jam ab eo tempore, quo Galliam adhuc, & conjugium primum, illa retinebat, iracundiâ flagrabat *ſpurius*, & vindictæ cupiditate, prorſus implacabilî : *primùm* quidem, quòd hanc Religionis, & Eccleſiæ, quam ipſe deſeruerat, obſervantiſſimam amantiſſimámque ſeſe gerere, paſſim, & ex omnibus, diſceret audirétque. *deinde*, privatam etiam ob offenſam: quæ ſe ſic habuit.

VIII. Eſt in Scotiæ Meridionalis parte, Septentrionibus viciniore, dynaſtia; quæ, per obliquum à Zephyrónoti plagâ, Boream versùs, inter montem Grampium, ac Speyam fluvium, jugî tractu procedens, *Murrayæ* (13) *Comitatus* appellatur: &, qui terræ Scoticæ partem illam obtinent, *Comitum Murrayorum* nomine dignitatéque cenſentur. Hanc *Jacobus* iſte *Stuartus*, de quo ſermo nobis eſt, toparchiam, ut agnomen *Nothi Spuriive* deleret, alio ſubſtitutô ſpecioſiore vocabulô, vehemen-

hementer affectârat; dum adhuc in vivis, ac vicibus regiminis, esset *Maria Gvisia* Lotharinga, Jacobi quinti vidua, Scotorum regis. Eam ille regiunculam ab ista, ceu Scoticarum ditionum omnium *gubernatrice*, sibi permitti regendam, ac fruendam, efflictim expetierat, ac flagitârat. A matre rectrice rejectus hic ad filiam, Galliæ tunc adhuc, & Scotiæ jam antea, Reginam; à sorore MARIA (sicut *apostasiâ* suâ meruerat) duriùs adhuc, & cum abruptâ repulsa, *frater excucullatus*, excipitur. Ad summam! & Comitatus ei negatur, & honorificentioris usurpatio tituli. Tantus incorruptæ Religionis vigebat in *Maria* tunc ardor! cujus utinam durare tanta postea constantia potuisset, quanta duravit in ea constantiæ voluntas. Sed videlicet, iniquiora tunc inciderant tempora, quàm, ut iis *mulier*, & ea quidem *una*, quantumcunque pia sanctáque, par in longum durationis spatium esse posset.

IX. Jam primùm omnium, adhuc absente sorore Reginâ, spurius Jacobus, repudiatione postulatorum suorum immanè quantùm efferatus, ac suî nec antè quidem unquam potens, exinde verò multîs partibus impo-

impotentior; fremere ſtatim palàm, & inſanire: miſcere diſturbaréq; cuncta. maledicere ſorori, matri ſororis, ſacris Catholicis, ac Sacrorum præſidibus, & miniſtris. Simùl autem, ſeditioſorum ſibi manum comparare: ſectariorúmque factioſiſſimô quôque per delectum adjunctô; circùm ſe greges habere, circúmque ducere, ſicariorum, prædonum, incendiariorum, furum ſacrilegorum, & iconoclaſtarum; cum generis omnis, quos vocamus, *Sacramentariorum* exercitu. Cum his talibus, ipſe ductor & ſtimulus impietatis, impetum faciebat in ædes, DEO ſacratas; & in obvia quæque, præque cæteris & primùm omnium, in opulentiora, *monaſteria*. Templa vaſtabat, & diruebat. *Lauras*, (14) ac ſolitudines piorum, evertebat. *monachos*, quos non pervertebat, profligabat. Templorum, & cœnobiorum, cenſus ac facultates direptas, aut ipſe ſibi retinebat; aut cum Proceribus, & Nobilitate, ſibi concolorî, partiebatur, & diſſipabat. *Epiſcoporum* regni, vel nulla jam, vel admodum vilis, erat apud eum auctoritas. *Scotia* denique (ne multis) *Puritanorum* eſſe cœperat *tranſmarina Monarchia*. Quæ cuncta, pluráq; generis ejus,

cùm

cùm intelligeret ac ſentiret optima Regina, quorſum non jam tenderent modò, ſed planè penitúsque deducta tandem eſsent: ne progreſsu diuturniore prorſus unam in ruinam omnia convolverentur: indulgentiâ ſibi demitigandum *Spurium* decrevit, apud quem, juſtâ ſeveritate nihil profeciſse ſe, dolebat. *Murraya Comitem* igitur & pronuntiat, & inſtituit, *Jacobum Stuartum* hunc; Spuriæ ſtirpis nubeculâ maculâq; natalibus ejus detersâ: regiæq; poteſtatis auctoritate,(15) plenitudinéque, defectum originis emendante. Sed nempe, *Cornua* (quod dicimus) addidit *Aſino*: criſtásque, *Superbia* contumaci. proptereáque, non defuerunt; qui MARIÆ ſeu *facilitatem, ut nimiam*, ſeu *timiditatem, ut inconſideratiorem*, improbarent. quod tamen *in Actis Principum, ex eventu judicandis*, cujvis privato, *factu*, quàm *demonſtratu*, proclivius, & ſemper pluſquam ſerum, eſt. QUIS enim hominum, dolos omnes humanos anticipare conſiliô queat? Fefellit Reginæ ſpem, perverſitas unius Nothi. fefellerunt, & fallent in poſterum, innumeros alios, alii, ſine numero: præſertim, quibus, vilî natis origine, tamen aliud ex alio petendi ſemper impudens

pudens

pudens eſt importunitas, eáque quodammodo congenita; non ſinè doloſo ſemine, prorupturæ tandem in immenſum, *arrogantiæ*. quæ ſecum demum, & omnem beneficiorum erga patronos oblivionem trahit. Nec opus ad hoc eſt, ut *ſpurius* ſit quiſpiam cum *Goliatho*, de populi fæce; vel cum hoc *Murrayo*, ſatu thalami nobilioris, ortus. VITIA poſseſſoribus ſuîs, non progenitoribus, cenſentur. Sit ſanè quis mediaſtinus natalibus, aut bajulus: ſit ſervus, aut à pedibus, aut pædótriba, vel choraules, etiam buſtuarius. Emergat dein, alienâ promotione laboriosâ; pérq; vel *gradus* vel *ſaltus* municipii, ſeu ſui, ſeu peregrini, decurionatum apiſcatur, aut duumviratum: Confeſtim illi ſpiritus inſurgent. ſeſe circumſpiciet: alios pleroſque ponet infra ſe. Qui principiò modici, ſolliciti, circumcurſantes, &, unô verbo, proximo cujvis & obvio ſupplices: poſtmodum, adepti per fas nefásve, quod eblanditi ſunt, ſupercilium attollunt, in ipſos etiam ſuæ celſitudinis auctores. Hos, ne beneficium iis debeant, fugiunt occurſantes; declinant, & averſantur, præter exſpectationem obvios: negant, eorum operâ ſe ſublevatos in ullo, vel adjutos:

B immò

Maria Stuarta.

immò verò, priores ipsi, (quódque nefandissimum) ultrò, calumniantes; præ se ferunt, ac mentiuntur, *Ab iis se præpeditos potiùs in progressu, sibi, virtutique suæ, debitorum honorum, quàm productos fuisse:* monstra (nequid atrocius dicam) *Ingratarum* mentium, plusquam Libyca, Nigritica, fœda, tetra! Talibus his, inhumanitatis prodigiis, *difficile* postmodum *est* (quod in concione Marius Sallustianus ad Quirites ait) *in potestatibus temperare; qui per Ambitionem antea sese probos ac demissos simulavêre.* quorum in numero, cum quibusdam, quos ei, nostrâ quoque tempestate, simillimos imitatio facit, *Morravius* hic fuit; ad odium & insectationem usque suæ fautricis, *Ingratitudine* (16) progressus: ut *in hoc* proinde *vitio nihil non inesse mali*, jurè Marc. Tullius pronuntiârit (17); ore pæne vatidicô, posterorum etiam experimentîs subsignatô.

X. Non contentus igitur *Jacobus* hic *Stuartus*; è *Spurio* Nævio, *Comitem* & dici se deinceps, & esse; Nobilitatis Scoticæ magnam, sed de religione deterrimè sentientem partem, *Ecclesiasticorum* participatione spoliorum illigare sibi studuit: sese Proregem sensim

ſim Scotiæ palàm gerere : tandémque gubernaculorum quoque jus ſupremum, tantumnon ut Rex, invadere conatus.

Tempus ergò, noviſſimáque MARIÆ ſorori neceſſitas, acres, è Gallia redeundi, ſtimulos, jam non tam admovere cœperat; quàm pénitus infigere. Rediit (utì dicere ſum orſus) : intravit *Lethæ* portum : & jam indè, priuſquam *Edimburgum* progrederetur, tanquam è ſpecula littoralì, regni ſui faciem ſuſcepit explorandam. invenítq;, primô ſtatim intuitu, longè fœdiſſimam. & hoc, in *civilibus* pariter, ac *Sacrorum* negotiìs ; nec Edimburgi minùs, quàm Lemnúchi, Glaſcuæ, Sterlini : demum, ubi ferè non ? Univerſim id, quod multò pòſt *Franciſcus* ſcripſit *Sacchinus*, Italus, (18) in annum Sæculi ſuperioris Sexageſimum ſecundum, verum erat, his expreſſum verbîs, de Scotiæ ſtatu. *Dominatum hæretici, maximéq; Spurius, Reginæ frater, Prior* Sant-Andreanus, *exercebant in Regnum, atque Reginam ipſam ; rebus,* jam *ante plenum è Gallia reditum, occupatîs, everſîsque templîs.* Singillatim autem, ad *profana* primùm, dein ad *Divina*, particulariùs intuenda, veniendo; *Scotiæ* calamitatum hæc, quam damus, *Ilias* erat.

 XI. Cùm

Maria Stuarta.

XI. Cùm in censu *Reginæ*, reditúsque, sibi, ceu supremæ potestati, pendendos, ac debitos, inquireret: reperiebat, eorum, qui diripuerant, scelere, nec *fiscum* usquam, nec vectigalia statásq; pensiones, comparére; regiæ sustentationi, (ne dicam, dignitati magnificentiæque,) congruentes. Victum ei, vestitum, ac mundum muliebrem, (si splendere vellet illa, quæ tractura difficulter & animam erat,) præbere jubebatur, non ea, quam vulgò *Jura Canonica* vocant, PIA, sed *Impia* sacrilegáque, TERTIA; de *bonis Ecclesiasticis* direptîs seposita. *Mensæ* dimensum hoc, & hanc è sacrilegiis *annonam*, (si Superis placet,) *basilicam*, Reginæ suæ sectaria, rebellísque, *Scotia* decreverat. Indè victura *Stuarta*, sed *precariò*, fuerat. Nec id tantummodò, quod indignissimum tamen omnia terrarum Regna meritò judicâssent; mendicitate *Regnatricem famem*, & Ararum furtîs, *pietatem Stuartæ*, pasci: sed & aliud, omnem superans Impudentiam, modestissimæ Viragini jugum, *Puritana* leges scripserant: Ut eádem è quadra suâ, quantumvis alioqui plurimùm jam circumcisâ, restrictâque, *Baalitas* quoque sacrificulos, Jezabelæîs illîs (19) facilè

cilè tandem plures futuros, putà *Ministros pseudevangelicos*, saginaret. Reginæ, tenerrimè semper ad eum usque diem educari suetæ, *diaria* (20) fuerant hæc futura, ni prævertisset; hi tales, mensæ regiæ participes, ac pæne contubernales: filii *Cainitici*, cum filia *Sethi*, *Deique*, convivaturi. (21) Vita videlicet *Penelopês*! compransores habituræ *procos*: ut eam, ad defectionem à fide, CHRISTO datâ, sollicitarent. Hanc, in *Politicis*, STUARTA tunc *Regii* culminis invénit *Majestatem*.

XII. HIERARCHICAM autem, in cultu *divinorum*, Rempublicam deprehendit, multò flagitiosiorem. In universa longè latéque *Scotiâ*, templum, ædésque sacra, quocunque nomine *patronôque* censeretur ea, superstes & inviolata vix uspiam erat ulla. Non aræ, non statuæ, vel imaginum piarum tabulæ; præterquam in fragminibus, cineribus, liturîs, (22) ramentîs. *Sacrificia*, quà lectione nudâ, quàque cantu peragi sueta, cum Sollemnitatibus *Officiorum* divinorum universîs, nusquam non abolita. Sacerdotia *minorum* censuum, fugata partim, & extrusa: pars magna, matrimoniîs sacrilegîs, & ementitîs,

commutata. *Majora* verò Sacerdotia, quorum nudum ferè nomen adhuc penès *Episcopos* & *Archiepiscopos* residebat; quantumvis in officio, nullâ tamen in *auctoritate*, nec adeò *Sede* vulgò suâ, manebant: in loca regionum obscuriora, vel fluviales ad insulas, extrusîs pastoritiis *mitrîs*. Sic, religiosissimus *Dunkelliæ* civitatis *Præsul*, ad Amundum amnem, in lacûs insula residuas habens ædes suas (ut in *Patmo* Divus *Joannes* metalli fossilis latebras,); à *Pio* IV. Pontifice legatum ad se, *Nicolaum Gaudanum*, sub id ipsum ferè tempus (23) clanculum, & habitu famuli dissimulatum, inter mutuas utrimque lacrymas, excepit, & audivit. At *Scotiæ* cæteræ (quanta quidem sectis adhærebat) Romanus sacrorum Antistes, *Antichristus* erat. (24) *Antichristiani* quoque censebantur, & audiebant, jam aliquammultîs à temporibus, quotquot aut à *Consiliis* erant, aut ab obsequiis, *Pontifici*. Quo proinde nomine titulôque, tum *Sacerdotes* aliquot, tum ante quindecim annos, moderante Scotos adhuc Mariâ Gvisiâ, Jacobi quinti viduâ, *Davidem Betonium*, Sacræ Romanæ Sedis Purpuratum, & Archiepiscopum Andreopolitanum, Majô mense, suâmet

met in arce *Sant-Andreanâ* ſecurum ſibi viſum, duce *Normanô Lesliô*, necaverant; multîſque conciſum vulneribus, ad ſpectaculum palàm propoſuerant. Crimini datum, inter cætera, *Cardinali:* quòd is, haud antè multò, *Georgii Sophocardii* cujuſdam, pertinacis errorum doctoris, medias inter flammas laqueô ſtrangulati, ſupplicium, ex ejuſdem arcis editiore loco, gloriabundo ſimilis, ſpectâſſet; (25) unàque ſeipſum, *Sophocardii* fautoribus ſpectandum, in re cruciariâ, dediſſet.

XIII. Quid miri verò continebat; vim illatam ab impiis illis, Deo-ſacratorum hominum corporibus, ac vitæ, fuiſſe; qui nec ipſi cœlicolarum *Pani Vivo, de cœlo* quotidie *deſcendenti, vitámq; mundo largienti*, (26) pepercerint? *Angelorum, Eucharistico cibo*; qui, *Panis* ſub ſpecie, verbis Myſtarum conſecrati, jam non *Panis*, ſed CHRISTI *Corpus*, adeóque CHRISTUS JESUS ipſe, DEUS veriſſimus, & HOMO, Virginis-matris filius, eſt: qui verbis clariſſimîs, *Id Corpus eſſe ſuum*, affirmavit, ac juſſit. Hoc quando, cum *Sacramentariis* omnibus, in ſatyra ſua maledica, *Buchananus* deſertor irridet; & Ultrajecti noviſſimè muliercula quoque, *Schurmána*, ſuîs

Maria Stuarta.

ad V. Clariss. Claudium Salmasium *epistolaribus belli-simulacris* (27) impugnare se gloriosula putat: id totum *plus, quàm serum*, atque *cariosum* est; post *Veritatem*, tantô Vetustatis-orthodoxæ doctorum, ac testium, exercitu circumvallatam, & protectam. Græciam Latiúmque, plenissimum esse Scriptoribus, Eucharistiæ-Catholicæ propugnatoribus, vel unus unicus (si cæteri silerent omnes, qui tamen clamant omnes,) THESAURUS convinceret ECCLESIASTICUS. (28)

Sed, hîs insuper habitîs, & omnî cœli terrarúmque sanô sensu proculcatô, scelestissimi quique Scotorum, è temporis illius *novatoribus*, usqueadeo reveriti non erant Verborum CHRISTI pondus, adeóque *testatoris* in ultimâ cœna majestatem: ut (ô, mille dignam fulminibus abominationem!) furcis agricolarum fœnilegorum tricuspidibus, humì defixis, & erectis, DEI verbîs *consecratas* altarium *hostias* illigarent: eásque, stando procùl, utì metas jaculorum & scopos, globîs sclopetorum, per ludibrium impeterent, ac lacerare contenderent. (29)

Post quæ tam *Cyclópica*, támque *Gigantomáchica*, flagitia, despectâ *Cœli terræq; Regis* aucto-

auctoritate ; quis jam porrò debitæ reverentiæ locus Scotorum *Reginæ* superesse poterat, & *viduæ* tunc, & adhuc propemodum *puellæ* ? Nam ætatis Annum, quemadmodum superiùs quoque dicere cœperamus, *vicesimum* haud admodum supergressa tunc erat. Sed hæc maturitate nihilosecius consiliorum in *civilibus* eminebat: & in tractatione divinorum, *Utilem ad Omnia Pietatem*, inprimis, ac præ Scotis omnibus, urgebat ; nec verbîs magìs, quàm vivîs, in cultu Numinis, exemplîs. At utriusque splendoris istius, ac laudis, lumen publicum, in *Maria Stuarta*, si non penitùs excæcare possent, obscurare tamen latebrîs, & hebetare dignitatis imminutione, conati sunt, ejus, ac Numinis, inimici.

XIV. *Primùm* enim omnium, negatîs ei, clausísque, templîs urbicîs universîs, in privatum eam arcis aulæve regiæ sacellum Edimburgi compegerunt ; *unicô* solô, (nec pluribus,) permissô veriùs, quàm assignatô, *mystâ* ; qui Reginæ quotidianîs à Sacris, & idem eidem arcanîs à Confessionibus, in utroque verò negotio talî, ludibrio Calvinisequis illis esset. Quorum ii postremum contumeliæ genus, quoties sic casus ferret, in

eum exercere non prætermiſerunt. utì die quodam, (quem *autumno* nominatim Scriptores rerum Scoticarum ſinceriores adſignârunt,) ſcelere cujuſdam *Puritani*, de fæce plebis, accidiſse memorant: cùm is, tametſi Reginæ ſubjectus, ſacrificii cærimoniis deſtinatas *candelas cereas*, petulanter medias confregit; adſtantibus, quibus éadem mens fuerat, impietatis ſociîs, & factum improbum laudibus in cœlum efferentibus, *Spurii Murrayi*, domino ſimillimîs, miniſtrîs. Ulteriùs autem improbitate progreſsus, cum aſseclis itidem *Murrayanis*, nebulo quidam alius; *Reginæ ſacerdotem* verberibus invaſit, ac plagîs afflixit: & id, in ipſiúsmet oculis Reginæ; videntis percuſſionem ſacrilegam, & indignatione mœſtâ deteſtantis: nec impedire tamen, multò minùs autem ulciſci, vel coërcere legum pœnîs, valentis.

Quod enim, *Secundô* memorandum locô, de convulſo tunc *Politico* quoque *Scotiæ ſtatu* rerum, occurrit: is *ſtatus* talis erat. Omnia jam ad unum erant, *Murraya Comitem*, Reginæ fratrem ſpurium, devoluta jura, jurísq; turbamenta. *Jacobum* hunc *Stuartum*, Buchananus etiam ipſe, quanquam penitùs addi-

ctus

ctus & emancipatus illi, libro Scoticarum rerum decimô sextô, (30) palàm, & ultro, tantùm non ostentat, proximi Regis fuisse *nothum*. Aliunde verò constat (31); *In Stuartos, certô rectôq; lectô natos*, non autem incertô, vel per obliquum intrusô, *Scotorum esse regnum Hæreditarium*. Et hic tamen talis cùm esset, ut à *lecto rectô certôq;* procùl abesset, sicut alibi quoq; demonstrabitur; (32) non tantùm ausus est, erectâ petulanter fronte, sorori Mariæ viduæ dissuadere verbîs multîs, ceu periculi plenum, ad *secunda vota* transitum: sed audacter insuper (Oberto teste) regnum ut in se transferret, exigere. renuente verò reginâ; pro *Rege* jam ipse se *legitimô* (si cœlestibus placet) ferebat, profanorum æquè Sacrorúmque: quòd, sicut opinor, & hinc *civilia* sursum deorsúmque passim versaret: & illinc, eodem, quem dixi, Buchananô teste, *Religionis instaurandæ* (Puritanæ) cum Gillespîco Cambello quodam, Artathéliæ Comite, *præcipuus fuisset auctor*. (33) Sub hoc igitur *Murrayo*, tam honestîs, ut sæpe dictum est, ac dicetur sæpius, ortô natalibus, MARIA, *legitimô* tot Stuartorum-Regum progenita sanguine, *quæ*, Buchana-

nævi

Maria Stuarta.

næi programmatis cujusdam præconiô, (34) *sortem meritîs, annósq; Virtutibus, & animis sexum, ac nobilitate morum genus, anteveniebat*; hæc sub Nothi fratris, inquam, nutibus, & imperiis *Calvinianîs*, vivere soror *Catholica* compellebatur.

In publicis regni *Comitiis*, quibus eam, ut *unicam* tunc *regni dominam*, præsidere fas fuerat, locum Ordines-regni rebelles nullum ei, nec ad consessum, nec ad inspectionem; minimè gentium autem, ad sententiæ dictionem, aut suffragii lationem, aut *prærogativam* ullam, concedebant. Exclusionis rejectionísque titulus præferebatur, exclusæ quidem gloriosus, sed æquitati tamen, & regni legibus, injurius: QUOD CUM CATHOLICIS SENTIRET. (35) Quo denique solo, nec alio, nomine prætentô, *pratorianam*, regibus regnísq; suetam, ac debitam, corporis *custodiam*, nefandus *Murrayus*, & perduelles cæteri, reginæ detraxerunt; sub *arbitrio* posthac, *gladiôq;*, solius *Spurii* relictæ. (36) Quod totum, quid aliud demum in eam, quàm Tyrannis, atque Phalarismus, erat? ut ab *Oberto* proinde rectè veréque dictum, in Reginæ nimiam illam quon-

quondam, erga fratrem Spurium, indulgentiam, fuerit: INGRATO QUIDQUID FECERIS BENE, CONTRA TEIPSAM FECERIS PESSIME.

XV. Tot igitur hîs, támque refertîs omnî rerum indignitate, contumeliîs, optima Regina delaſsata; præſertim, ſuadentibus id ei benevolîs, & optimô quôque *Catholicorum*, adjicere *ſecundas* ad *nuptias* animum cœpit. Id, quod *unicum* tunc apparere dicebant (ſicut eſse revera poterat) *remedium*, tantîs è malis, & emergendi ſemetipſam, (37) & ſecum *Eccleſiam* quoq; *Scoticam*, quantulacunq; ſupereſset, extrahendi. Futurum id verò ſperabatur; ſi MARIA, non modò viro juveníve præſtanti, ſed etiam *excellenter Orthodoxo*, nuberet: in quo præſidium ſana Religio, quà pace, quà bellô, reperiret; adverſùs everſores Juris, & Sacrorum, tutelâ legum humanarum pariter, ac divinarum, inſtitutâ. *Rex* eam tutelam & *Regina*, conjunctîs videbantur *operîs* præſtituri; ſi modò jungerent & *animos*: ac regni, ſiquis indè naſciturus eſset, *ſucceſsor*, æternitati *Pacis*, & *Pietatis*, conſulturus. Apparebat autem ſpes ſucceſſionis, è regina, viginti duos ætatis annos

Maria Stuarta.

annos vix egreſsâ: formæ quoque flore, quali ſemper, ſummô; potiúsque cum annis creſcere perrecturô: ſi præſertim, liberior ab importunitate ſe circumſidentium inimicorum, aurâ puriore frueretur. Cæterùm hâc intellectâ Reginæ mente nuptiarum, offerebant ei diverſi diverſos, & thalami conſortes, & eádem operâ Regni collegas futuros. *Eliſabeta* quidem, Angliæ regina, ſuîs è Proceribus, Robertum Dudlæum, Leceſtriæ Comitem; ſed Calvini ſectatorem: & ideò, vel hôc ſolô nomine deſponſandæ diſpliciturum, ſi cætera congruerent omnia. *Maximilianus* II. Imperator, germanum Carolum, Archiducem, Styriæ Principem; viginti trium tunc annorum Juvenem. *Philippus* II. Hiſpaniarum rex, & Indiarum, Carolum filium; octodecennî vix majorem. horum utrumq;, natalibus, & profeſſione *Catholicum*; ſed exteros, ac longiùs remotos. Urgebant autem, *Murrayus*, & per *Murrayum*, Angliæ Regina (callidè licèt, nec eádem, quâ Stuarta, Religionis curâ) nuptiîs ſuîs ut *Britanniam Maria* nequaquam egrederetur: quippe, quæ transmarinarum nuptiarum ævi-brevitatem, & luctum, experta jam ſemel in Gal-

Gallis esset. Idem & ipsa MARIA, sed saniore studiô, volebat: cujus etiam successum casus, & fortuna, videri poterant adjutare. qui talis erat.

XVI. *Matthæus Stuartus*, Leviniæ Comes, à temporibus ferè Jacobi V., Scotorum regis, extra regni fines, per annos propemodum viginti duos, (38) partim in Gallia, magnam quoque partem in Anglia, relegato similior, & exulanti, quàm peregrinanti, sic abfuerat: ut absentis bona fortunæque, ritu quodammodo proscriptionis, alienas in manus venirent; ipse, multùm interim aliorum benignitate, quasique precariò subinde, vivere videretur. Is *Margaritam Hamiltoniam* (39) ducens, ex ea filium, inter duos, illum, natu majorem, sustulerat, orthodoxus ipse *tunc*, (40) orthodoxum; *Henricum* (inquam) Stuartum, *Darlei* baronem: juvenem, ætatis accessu, cumprimis amabilem moribus, magni spiritûs; (41) &, præter hæc, *corpus* à natura nactum, *omnium illius ætatis formosissimum*. (42) *Mariæ* porrò reginæ permissu, *Matthæus* is, quem dixi, *Stuartus*, (cognationis quadam, qua reginam proximè contingebat, memoriâ reverentiâque, dignus tan-

tandem restitutione visus,) sub Autumni finem anni millesimi, quingentesimi, sexagesimi tertii, reversus ex Anglia fuerat in Scotiam. Anni quoque proximè subsecuti Januariô, plenô regni conventu, pænéque propter eum solum indictô, Scoticis se proceribus & Ordinibus, ut deprecator, stiterat; proptereáque, condonatô mox ipsi palàm exiliô, res suas, ac facultates, & omnia jura, receperat. Quibus ejus bonis, continuò pòst, charior omnibus fortunîs, accesserat & *filius Henricus*: Elisabetæ reginæ commeatu, Londinô dimissus; & ad Idus Februarias solo tantisper patrio restitutus. (43) In hujus ergò, quem dixi, Juvenis, non tam *formam*, quâ nullam hic non cepisset, aut *ætatem*, qua novendecennium haud excedebat, mentem Regina defixerat; quàm, in rectè suavitérque compositos mores ejus, nec non cognationis proximitatem, illius regni capacem aliquando futuram, è cujuscunque tandem principum fœminarum nuptiîs. Erat enim Henricus hic, Darlæi Baro, non Matthæo duntaxat natus, Stuartô: sed Margaritâ quoque, sicut diximus, Hamiltoniâ; quæ Mariæ Stuartæ fuerat ámita, seu, Patris soror. (†) Præcun-

cunctis autem ornamentis aliis amabat in eo Maria, *Religionis-majorum* excellentem, &, in Angliæ quoque mediis insidiis, eousq; retentam, constantiam. Scires, ULYSSEM se porrò quoque præstiturum eum esse, qui, tam solerter obturatis auribus, tot Sirenum scopulos, tam innoxiè prætervectus esset; ideóque PENELOPA (44) suâ dignus repertus.

XVII. Quocirca, bonâ *Sedis Apostolicæ* veniâ, quâ, tam arctè connexis duobus his Stuartis, fas, & gratia fiebat, arctioris quoque, per fœdera nuptiarum, conjunctionis (45); MARIA regina *despondendam* se *Darlæo* dat. Verùm, quò pluribus conspicuus honorum fortunæq; titulîs in publicum sponsus prodeat; edictô priùs publicô, præconis operâ divulgatô, DUCEM eum *Rothesajum* creat; ac *Rossiæ* Comitem (46). *Nuptias* deinde festinat: nequid ei consilio, regni, religionísque-puræ, rebus tam salutari, (quod sperabant) moræ, vel obicis, interveniret.

Jam enim, *Elisabeta* saltem Angla, cum Jacobo, *Murrayanô* Comite, fœdere junctô clandestinô, plerumque contra *Scotam*

colludere perhibita; ſeſe nuptiis iſtis parùm æquam faventémque demonſtrare cœperat. offenſáque *Leceſtrianâ* quoque, de qua dictum eſt, repulsâ, ſéque, ceu conciliatricem, in corrivalis illius rejectione, contemptam ſive ſentiens, ſive præ ſe ferens; quandam ulciſcendi ſuî larvam, & imaginem, oſtentabat. Menſe proinde Juliô, miſsâ Londinô legatione, Scotorum apud Reginam quiritabatur; *Suas, in eo nuptiarum negotio, nullas fuiſse deliberationis partes; neque ſecum communicatam rem tanti momenti, quantum ad utriuſque regni quietiorem ſtatum, & æqualem utrimq; ſanguinis Stuartæi neceſſitudinem, atque vinculum, pertineret.* Hìs autem querelìs à *Scota* (quippe, fraudium, & machinationum *Murrayanarum*, veſtigia deprehendente,) diſſimulatìs, & legatô poſtulatorum irritô remiſsô; ſecutus illico legatus alius, *Throgmortónus*, ordinis equeſtris Anglus: qui *Matthæum*, Leviniæ Comitem, & filium hujus, *Henricum Darlæum*, Anglicæ reginæ verbìs commonefaceret; *In Angliam ut redirent ocyùs: ni gratiâ pariter Eliſabetæ, ſuìsque, quas haberent in Anglia, facultatibus, excidere mallent; in fiſcum redigendìs, non ſine dominorum, ex illo regno,* perpe-

perpetuâ proscriptione. Recordaretur Matthæus, Autumnô superioris anni sibi revisendæ Scotiæ copiam, indulgentiâ Reginæ, factam, eâ lege tamen; ut, exactâ foris hyeme, reverteretur in Angliam. Meminisset quoque Darlæus, à medio circiter Februario se nuper emissum in Scotiam, haud ampliore, quàm trium mensium, impetratô moræ commeatu. Tunc autem, à Februarii dimidio, facilè quintum jam in cursu mensem esse. Summatim! Suum utriq; diem exisse pridem. Quare, vel redirent extemplò; vel perpetuîs seculîs foris essent. (47)

XVIII. Minabatur hæc *Anglia* tunc: sed, in *Scotia*, nemo movebatur. Quocirca sub Sæculi decimi sexti Julium exeuntem, quartô Calendarum Augusti die, qui *Divæ Marthæ* Virginis memoriæ sacer est, remanente Matthæô quoque patre; *Darlæus*, Rothesayus jam Dux, Ordinum regni quietiorum approbatione multâ, Scotiæ reginam *Mariam Stuartam* ducit: acclamante nuptiis, & precante, populorum accursu, votîs sollemnibus, *Utì feliciter ea, favore DEI ter maximi, sponsis novis evenirent!* Posterô quoq; die, qui Julii trigesimus fuit, Edimburgi, præconis voce, SCOTORUM REGES, HENRICUS

Maria Stuarta.

RICUS ET MARIA, promulgantur: absentibus consultò tunc, malevolentissimô quôque, rebúsque Catholicis, sub sceptro jam orthodoxo respiraturis, infensissimô. cujusmodi præsertim, *Gillespicus* erat, *Argatheliæ Comes*; suprà jam memoratus nobis: &, eô longè deterior, *Jacobus Stuartus*, nothus, *Murrayæ Comes*: quem, ereptus velut è faucibus, spei-bolus, regnum ulteriùs pro libitu tractandi, mirè cruciabat; Rege tandem aliquando, *legitimi* juris & *ortûs*, in solium evectô.

Jámque (nisi miscerent denuò res Scoticas, inimici Pacis, & Salutis populorum,) in præsens tranquilliora futura cuncta sperabantur: cùm repentè, struente dolos & calumnias malitiâ *Murrayani Comitis*, & factionis ejus participum, seditionum ignis ingens, & indomabilis, ex ipsis erupit Regiæ penetralibus. In cujus enarrationem tragœdiæ priusquam pleniùs ingrediar; mihi præmonendus lector æquus est, ne plus *Buchanano*, Scoticarum rerum libro decimo septimo, proximéque subsequente, gesta tradenti, credendum sibi putet; quàm *Veritati*, tot aliorum è contrario testium, acta tempestatis illius

secus,

ſecus, ac ſincerius, exponentium. Opponat ingenuus litis hujus arbiter, hominem homini, ſuſpiciones experimentis, commentis certitudinem, vanitatem auctoritati; ſceleſtam mentiendi libidinem, in *hæretico* ſcriptore, conſcientiæ teneritudinem in *Orthodoxo*: demum autem, accuſatorem quoque Stuartæ, ſuimetipſius accuſatori; *Buchanano* putà, *Buchananum*. Speculemur, agè, vel per transennam, & perfunctoriè, *Buchananum*; & eum, cuj præconium ſuum vendit, *Murraya* Comitem, *Stuartum nothum*.

XIX. Ac *Buchananus* quidem, ignobilibus ortus in Scotia majoribus, *ingeniô* tamen ad fundendum carmen felicî, fœcundôque; ſtrictim à *Barneſtapólio*, ſed nervosè, locô pluſquam uno vellicatur, *in Innocentia Stuartæ vendicatâ*. Profectum, ait, in Galliam, non magis ad artium, quàm hæreticorum quorundam, ſcholam. E Gallia deinde, cum Calvini ſcitis in ſinu, repetîſſe Scotiam; *cum fama, non virtutis, ſed ingenii; nec boni viri, ſed boni poëtæ: cujus tota fuerit, ac vera, talium laus; græcari, ſcurrari, facetias ſpargere, mentiri*. Sed *Reginam* tamen MARIAM (huic *Pſalmos* iſte *Davidicos*, verſu Latinô

Maria Stuarta.

redditos, inscripserat) morum ejus nequiorum utique minùs gnaram, honorem habuisse viro tantum: ut *Georgium Buchananum*, qui se *Sæculi sui poëtarum facilè principem* dici scribíque ferret, ac gestiret, plurimô lautôque censu produceret: dignitatum insignibus ornaret; è fæce plebis eductum mendiculum, exulem, aridum exsuccúmque ramum, in Scoticæ Nobilitatis ordinem rescriberet.

Belluam! (exclamat Barnestapólius,) *Ingratissimam!* Nam & ipse, quæ superiùs de *Beneficiorum immemoribus* quiritabamur, incurrit omnia *mentis ingratæ* dedécora. Neque contentus, in *Historia Scotica* parùm nonnunquam honorificè tractare *patris* Reginæ memoriam (quippe, sui quondam, propter hæresin, ut & aliàs dixi, proscriptoris) aut in sanctissimi *Franciscanorum* instituti fœdissimâ dicacissimâque traductione, (Satyrâ putà, maledicâ, quæ *Franciscanus* inscribitur,) invidiam impii facinoris in *Jacobum* V. regem, Stuartæ patrem, rejicere; ceu *blasphemi* carminis illius stimulum, & incitatorem, qui rex tamen, *blasphemorum* ejus generis exagitator acerrimus, & eradicator, fuit: Ipse, (*Buchananus*, ajo,) Nobilis jam, *fictus potiùs*, *quàm*

quàm factus, (48) Reginam, dignitatis ejus primam & unicam auctorem, deformare post hæc, & perpetuîs infamiæ notîs inurere, conatus est. At, quis ipse, cujúsve tribûs, homuncio? *Buchananus* (ait, aliô pòst locô, Stuartææ propugnator Innocentiæ) NITIDISSIMÆ, scilicet, VITÆ *ter* ADULTER, (quippe, toties, nec sæpius, deprehensus, aut convictus,) ANIMI CONSTANTISSIMI *bis* APOSTATA. præter hæc autem, & INQUISITIONIS HISPANICÆ *semel* STIGMATICUS: POETICÆ deniq; FIDEI *semper* PROFESSOR: & OS IMPUDENS! Quæ *Barnestapolii* verba sunt (49): & à *Buchanano* postea, vitæ postremîs mensibus, adeò contrariâ protestatione factîsque, (quantum ad mentiendi spectat audaciam,) non eversa sunt: ut hic liberrimè potiùs, *Se contra jus, fas, ac verum, Scotiæ Reginam Stuartam gravissimîs in rebus infamâsse*, sit confessus. *Recantatione verò, manu suâ scriptîsque faciendâ, temperare se: QUOD, tantô demum in senio, delirare potiùs palinodiâ suâ, quàm retractare mendacia sua, Reginæ pertinacibus inimicis videri, traducíque, possit.* (††) REUM

ergò tenemus, etiam extra fidiculas, & equuleos, confitentem, *Buchananum*, contra *Buchananum*: ut plura jam Scriptoris hujus probra non producam. cujus flagitiosæ vitæ syllabum, in compendium à me redactum, in promptu mihi foret, proferre; nisi me res ea longiùs ab instituto seduceret: ut, cuj, non criminari, sed criminationes difflare, propositum sit. At atrocior *Stuartæ* sororis hostis, *Jacobus Stuartus*, frater *spurius*: quid hominis?

XX. Præter ea, quæ super illo dicta jam in præcedentibus sunt, ac sileri nec in subsecuturis omnino debent, aut possunt: unius, ejúsque brevissimi, tituli stigmate totam complexus est *Jacobi Stuarti nothi* frontem, ac faciem, *Innocentiæ Stuarteæ vindex*: quando, VIDETE, dixit, HOMINEM! AUT POTIUS LABEM HOMINIS! NAM, QUIDQUID DICITUR, FINGITUR, LABIS; HÆSERAT IN HOC HOMINE. (50) Neque mirum: *mali Corvi*, saltem *fœminæ*, (51) fuisse *malum ovum*. Quidquid enim de *Jacobo V. rege Scotiæ* sit, fueritve, cujus è congressu concepisse se nothi *mater* jactavit, nec id tamen omni-

omnibus adhuc perſuaſit (52): certè quidem, partus hic fuit mulieris, *Aſkinorum* è familiâ genitæ, nuptæ verò Nobili cuidam, *Clajnio*. cujus in matrimonio tamen, fieri potuit, ut hæc impudica plures uno, legitimum extra thorum, experiretur: maritô, vel inſciente, vel ignavè diſſimulante.

Cæterùm, iſthæc adultera, præter hæc, *omnium* opinione *ſermonéq;* venefica quoque ferebatur. è qua proinde, ſicut in voluptates pronum *corpus*, ità maleficii plenum *animum* traxiſse, ſpurius deprehendebatur. *In eo* profectò *peſſimam apparere matrem*, *Jacobus rex* obſervans, maturè clauſtris eum cœnobiticis, in oppido, (velut ſuperiùs memoratum eſt) Sant-Andreano, commiſit; ibíq; morum obſervatoribus illum circumſepſit. Neque multò tamen pòſt cæteris *Priorem* imponi, vel cupiens, vel ſinens; indidem eum in Galliam abire paſſus eſt. ubi, Lutetiæ Pariſiorum, in *Petrum* incidit *Ramum*, peſtiferæ *Sacramentariorum* doctrinæ propugnatorem: *Calvini* ſatellitem; & errorum, ſub velo *ſcientiarum ſubtiliorum*, ſubdolum venditorem. quem *nox* demum illa *Bartholomæana*, de feneſtrarum edito loco præcipitem datum, pla-

Maria Stuarta.

téæ silicibus illisit. Eôque casu, comminutum effusúmque cerebrum est; unà cum tot illis artium quoque commentis, inventísque, novîs. inter quæ, vulgus librariorum fert, illud quoque fuisse: Quo pactô posthac, I, vel U, *vocalis*, ab J, vel V, *consonante*, distingueretur. Hanc solam, ex illa dispersione, subtilitatem, ac solertiam, (tanquam, Ennianîs è stercoribus, auri ramenta Maro quondam) ævi nostri typóthetæ collegerunt. (53)

Sed ad *Stuartum* redeo, spurium. Is à Ramo Lutetiáq;, Jacobo V. vitâ functô, redit ad matrem, & Scotos: plenus Ramô, plenior Calvinô; sed impietate, plenissimus. Abjicit ibi, cum veste, *monachum*: induitur, (si satìs erat, jactare se talem, & ostentare,) *regem*, spiritus *regios*, omniáque cætera; præterquam *Jus*, quod illi *nullum* erat. Sumptus *regalis* - victûs, & amictûs, non mater sustentat, sed *arca Sant-Andreana*; dos, & gaza, monasterii. Neque tamen hæc ejus, aut cupiditatibus, aut pompæ, sufficiebant. PRODIGORUM insatiabilis est vorago: fundô caret, quamdiu modô caret. Ac ne *Murrayæ* quidem postea *Comitatus* ei, sororis (ut dixi) liberalitate spurio donatus, cum annuo

annuo Scoticarum librarum vigeſies ſexies millenûm reditu, ſatìs eſse potuit.

XXI. Cæterùm, ſublatus his ille cenſibus, & honorum titulìs, in immenſum; ſimul autem, & antea jam, & poſt hæc eodem illo tempore, gratulationibus hæreticorum inflatior, multò vehementiùs intumuit; vocibus ſcilicet, aſsentantium ei; *divinitúsq; lectum, ac cœlô demiſsum inſtrumentum eſse Stuartum hunc, aſseverantium: ſub quo proſeminari, creſcere, protegíque queat, ac debeat, Evangelium Reformatum.* Hìs, inquam, & talium ſimilibus aliîs, applauſibus, ſuperbior effectus *nothus*; ad Scotici primùm regni totius poſseſſionem, detruſâ ſorore, ſpem & exſpectationem erigit; extendítque, (quoad vires tunc, & partium ſtudia, ſinebant,) manus etiam, ad opes factionis ſuæ modìs omnibus confirmandas. pensíque non habebat, è raptône faceret id, ſacrilegîsque ſpoliîs; an, è juſtè partìs: quæ vix ulla ſe tamen offerebant. In his autem omnibus cùm *Anglorum* ſe placere *Reginæ* non dubitaret, quippe, cum qua fœdus ille vetus, acceptâ quater mille librarum annuâ penſione, renovârat; aliquouſque (ſicut *immodica cupiditatum*

Maria Stuarta.

tatum est, *Superborum impudentia*) ſperare nuptias etiam illius eſt auſus: an lactatus forſan (ut alii complures) ipſe quoque, per illecebras? (54) an verò provolutus in ejuſmodi thalami cogitationem ultrò, ceu rem, *utrimque* congruam; ſi juvenis, apertè ſpurius, puellam duceret, *ambigui* paſſim *juris* natalium? Ab iſta tamen ambitione, temporis ipſomet, nec ità diuturnô, progreſſu depulſus *nothus*; ad nuptias alias adjecit animum! ac, fictili ſuo regno celerem daturus ſucceſſorem, feſtinavit eas, & perfecit, annô, quò *Murrayæ*, de quo ſæpiùs dixi, *Comitatum* donô ſororis accepit. Duxit autem, & quidem ipsâ conciliante, nec ideò laudatâ, ſorore, ſed *Votorum* ejus *monaſticorum*, tanquam coactè nuncupatorum, interprete mitiore: duxit, ajo, degener hic ſtirpis regiæ termes, cœnobii deſertor, Eccleſiæ Catholicorum apoſtata, fratrum Sant-Andreanorum prodigioſus Prior, *Agnetem*, cognomento *Ketham*; Comitis Martialis filiam: cum qua mox habitare non erubuit, in eodem illo, quod olim, profeſſus monachum, incoluerat, oppidô Sant-Andreanô. (55)

Buchananus, qui Scoticìs ſuìs in Annalibus,

bus, spe Principatûs omnium Scotiæ sacerdotiorum adipiscendi, (56) totus est *Murrayanus* : qui *Comitis* istius in laudes, omnibus in locis, ac librîs, ubi res invitat, effunditur: qui, *magnô cum bonorum omnium assensu, Marriæ Morraviæq; creatum fuisse Comitem*, narrat : *ab omnibus laudatum, quòd habitus VIRTUTI fuisset honor : quòd Utilitati publicæ consultum non paucis visum esset, dum Vir, illustris genere, meritîs erga patriam illustrissimus*, (in orthodoxis putà Sacris exscindendîs,) *majore cum auctoritate, publicis in functionibus procurandis, post hæc versaturus esset* : (57) cuj denique talis vir erat *Murrayus, cujus in animo nihil simulatum inesset: Homo Probus, &* INNOCENS : *cujus* item *Innocentia reginæ sorori gravis accideret*; quippe, *quæ sua mulieri vitia videretur exprobrare, retardaréq; tyrannidis impetum. Quem, ob fortitudinem, & æquitatem, omnibus fuisse charum*, ait. *Cujus mores, quantò* SANCTIORES, (risum teneatis, qui legitis hæc?) *tantò majorem Reginæ sorori curam attulisse : quòd ii, neque suspicionibus, aut criminibus fingendis, locum darent : neque vivendi-licentiam laturi viderentur*. (58) Is, inquam, is ipse *Buchana-*

chananus, à *Murrayo*, si regnum eum adipisci contingeret, Scotiæ *Patriarcha* promulgandus; in nuptiis tamen illis, quas cum *Ketha* suâ *Murrayus* iniit, enarrandîs, infamiæ superatus magnitudine, temperare sibi nequiit: quò minùs carperet *epularum magnificentiam, aut veriùs immoderatam* (inquit) *luxuriam; quibus amicorum omnium animos graviter offenderit, invidisque maledicendi materiam suppeditârit: eóque vehementiùs* (adjungit, vera mendaciô coronans,) *quò* vir hic, *in OMNI superiore VITA, se temperantiùs gesserit.* (59) Hæc de *Murrayi* sui nuptialibus epulis Scotiæ-Slejdanus hic tradit: qui paulillô superiùs in *Mariæ Stuartæ* mensam (ex iis, quæ supra memoravi, sanè frugalem, & castigatam,) impudenter invectus, & mendaciorum ebrius; *Immoderato Reginæ luxui, nihil fuisse satis,* eructavit, & evomuit.

XXII. Vidimus hucusq; *Reginæ Stuartæ* criminatores, & hostes maledicentissimos; à quibus sua calumniarum commenta cæterorum pleriq; mutuò sumpserunt, Satyrici: *Buchananum*, inquam, & *Murrayum*, bipedum audacissimos, in fingendo quidvis, & insectando; proptérq; vel solam hanc causam, ad

ad omnium tribunalia prætorum inteſtabiles. Quibus idcirco, fas & lex eſt, ut in contrarium opponamus, ipſum inprimis, utì ſuperiùs memorare cœpi, principem maledicarum de *Stuarta* narrationum *fabrum*, ſuómet ſe denique gladiô transverberantem, & os ore redarguentem; *Buchananum*. Is, non contentus, Inſontem talium, heroinam, ſuſpectam proclamare temerati vetitâ cupidine lecti conjugalis (60); auctorem item aſſerere, ſatorum, in nobilitate Scotica, diſſidiorum; accuſare ſtrangulati, molitionibus ipſius, Henrici, mariti ſecundi; (61) tyrannidis (62) demum Reginam, ab ea per Scoticam Eccleſiam ſtrui capeſſíque cœptæ, (quoniam de Sacris majorum reſtituendis, & hæreſi profligandâ, cogitârat) inſimulare: ſuper hæc inſuper, librîs præſertim quatuor poſtremîs *hiſtoriæ Scoticarum rerum*, ubicunque vel rimulam nactus eſt occaſionis calumniandi MARIAM; ibi celeriter, & cupidiſſimus, irrumpit, ac paſſim eam exagitat. Lector, cuj per conſcientiam, & adeò, *Summæ Sedis* indulgentiam, id licet; is ſanè perluſtret eum: &, quod ſcripſi, verum reperiet. Ut proinde, vel hinc etiam, (ſi cætera deeſſent,) naſci curioſo

Scoticarum narrationum istarum scrutatori *præjudicium* oporteat, *Scriptoris, in reginam pessimè liventis*; & idcirco, *mendacissimi*: juréq; meritissimô, propter hæc, Optimo cujque tantò plus placere STUARTÆ debeat integritas; quantò plus, homuncionum scelestissimis, Stuarto *spurio*, transfugæque *Buchanano*, displicuit. Verumtamen, olim ista. postea namque, tanquam placere MARIA cœpisset, postquam erat *oppressa*, displicere sibi *Buchananus* ipse cœpit: ob criminosas ipsius, in historia Scotorum, insectationes; quas palàm Regni damnaverunt Ordines (utinam, & in flamma quoque, luculentiùs!) Et ipse, quod dicere superiùs orsus eram; auctor, inquam, *Jacobo* coràm rege, *Stuartæ* filio, velut immeritò contumelioséque carpta Mariæ reginæ gesta, detestatus est. Moribundus deniq;, *Stuartæ* moribus *aspersas* per mendacia *maculas*, (63) abstergere memoratur exoptâsse, retractatione, revocationéq; styli, per stylum contrarium: ad extremum autem, & *effusi sanguinis* abolere liturâ posse.

XXIII. Stat igitur, pro *Stuartæ* moribus inculpatis, (quod tertiùm jam dico) contra Buchananum *furentem*, Buchananus, in hôc

in hôc *resipiscens*. Stat, sinceriorum pro Regina scriptorum, agmen ingens: stant, laudum illius præcones; Florimundus Remondus, in libris Originum hæreseos; Henricus Spondanus, in Annalium Continuatione; Franciscus Sacchinus, in historiæ Societatis tomo secundo; Georgius Conæus, in vita Stuartæ; Famianus Strada, Belgicorum alterâ Decade; Romualdus Scotus, de Morte Mariæ Stuartæ; Joannes Leslæus, Rossensis episcopus, Scotus; Obertus Barnestapolius, Stuartæ vindex à cæde Darlæana; Michaël Isseltæus, Annalium superioris sæculi concinnator; Auctor Chronologiæ Stuartææ, Coloniensis. Quibus, aliisq; permultis, Belgici belli Decadum duarum auctor (64) addit, ex occasione saltem Mariam hanc, & velut in transcursu, celebrantes; Urbanum VIII. Pontificem Maximum: Cardinales Ecclesiæ Romanæ, Jacobum Peronium, & Robertum Bellarminum: invictúmq; bellorum in Belgis imperatorem, Alexandrum Farnesium, Parmæ Ducem. & ex ipsis demum heterodoxis, Gulielmum Vdallium, in vita Stuartæ; nec non Gulielmum alterum, cognomento Cambdenum, in Elisabeta. Quid agamus, in tanta *pro Stuarta*

D loquen-

Maria Stuarta.

loquentium ſcribentiúmq; multitudine, contra cæterorum, *bile* ſuffuſos, & *odii* ſepiâ tinctos, calamos? Illud, opinor, quod cogitatæ proditionis-patriæ poſtulatus à *Vario*, cive Sucrónis, Marc. Æmilius Scaurus, Romani ductor exercitûs, pro Roſtris populo judicibúsque dixit. *Varius Sucronenſis* (terræ filius) *Æmilium Scaurum* (hominem, Romæ nobilem, virum Conſularem, belli contra Mithridatæos imperatorem, & Senatûs Romani principem,) *regiô corruptum aurô, populi Romani prodidiſse Rempublicam, ait. Marcus Æmilius Scaurus, hujc affinem culpæ ſe, negat. Utrinam, Quirites, creditis?* (65) Nos quoque rogemus, in ſimilem quampiam ſciſcitandi formam, perſonîs duntaxat nominibúsque mutatîs; nos alloquamur eos, qui de *Stuartæ* probitate dubitant. *Comes Murrayæ, ſpurius, adultera veneficaq; matris filius; & Georgius Buchananus, Murrayi ſceleribus in nullo cedens, dictîs, ſcriptîsq; ſuîs Mariæ Stuartæ, reginæ ſuæ, famam lacerant. Maria regina, talium ſe ſcelerum ream, inficias it: & Innocentiæ laudatores ſiſtit innumeros. Utris credendum, fas eſse, cenſebitis?* NON potuit eſse non inviſa peſſimis; quæ ſui ſimiles eſse

voluit omnes; hoc eſt, moribus & religione quàm optimos. SEMPER inimici lucis veſpertiliones erunt.

Iſta porrò, quæ dicta ſunt hucuſque, præmittenda tantò prolixiùs exiſtimavi; quantò vagari latiùs per manus, oculos, & aures, oráque mortalium quorundam, intelligo, ſpecioſæ cæteroquin inſcriptionis librum, *Teutonicâ* vulgatum linguâ; proptérque ſermonis ac ſtyli cultum, incautiorum animis profundiùs ſubinde, quàm expediat, influentem. Nominare, cùm poſsem, auctorem, parcam adhuc; quantumvis ille (quippe, profeſſionis *heterodoxæ*,) contaminare ſanctiſſimæ reginæ nomen, & maculare fæculentâ ſuâ narratione, de Stuartæ geſtis, ac ſuppliciô, non pepercerit: in id unum ſcilicet, *Ut ſcriberet, non autem, quàm defæcatè ſcriberet*, intentus. Candidum itaque turturem, conſpurcavit upupa: quæ, quod alienîs è Buchanani ſordibus, ac Meteranæîs impluviis, glutivit, non potuit reverentiùs egerere. Nunc hîs ego ſic expeditis, ac malevolorum accuſationibus exarmatîs, obicibúsque disjectîs; reliquam ad narrationem, viâ planiore, pérque breviaria geſtorum, pergam.

XXIV. Augustæ-Taurinorum, quam *Turinum* hodie dicimus, urbe *Pedemontii*, vir habitabat, vitâ probus, & artibus honestîs séque, familiámque suam, sustentans: sed in tenui plerumque re. nam sexûs utriusque prole repleta domus erat, victum exhauriente. Ne gratìs tamen ederent, sed alimentorum partem & ipsi pro sua quisque facultate comparare discerent: liberos pater omnes sic instituit, ipse canendi singularis artifex; ut & pueri scitè psallerent, & ex arte puellæ modularentur. Eminebat inter omnes tamen, vocis elegantiâ, quàm formæ corporísque specie, felicior, *David* nomine; cognomentôque patris, *Riccius*. (66) Hic, adolescentiam ingressus, Turinô se Nicéam contulit, Sabaudorum Ducis tunc regiam. In hujus aulæ ministeriis, honesti quæstûs spem conceptam, ubi post multa tandem experimenta rerum, ac temporum, exspectatione minorem *David* invénit: cum Morettio quodam, Sabaudi legato, vela fecit in *Scotiam*: ibíque se tenuit aliquousque, dum fortunæ benignioris ei radius certior affulgeret. Nam & in legato, cujus in comitatu venerat, parùm paullatim esse subsidii cœperat;

Appendix, ad Annum 1614.

rat; ad vitam aliter, quàm precariò, diu ducendam. Erat autem, ac processu temporis ab iis, quibuscum ageret, animadvertebatur, multi vir consilii, magniq; judicii, *David* hic; idémque *Religionis majorum* observantissimus. cujus etiam amore reverentiâq; solerter identidem observare non prætermittebat; siquid ab adversæ partis hominibus, advenîs indigenisque, palàm aut clam in eam fieri contingeret, aut tentari. Qua tamen in industria, sicut sagacem, cunctáque callidè subodorantem, sic pariter in agendo cavendóq; prudentem, se præbebat: ut hujc adeò perfectum ad consiliarium, *curiæ negotia pietati sociantem*, deesse jam olim nihil, quàm ipsa *curia*, videretur, ac negotiorum assiduus usus. Apparebat autem, hujc obstituram artis *Musicæ* nimis eximiam, non modò scientiam, sed etiam professionem; nullâq; dissimulatione frequentatum usum. Sed, quæ psallendi dos, & gratia, cantoris istius cognominem quondam, Jessæ-Bethlehemitæ filium, natu minimum, non præpedierat, quò minùs ab ovilibus ad aulas, & à citharis ac pedô, transiret ad sceptrum, & solium: ea nec *Davidem* hunc *Sabaudum* discludere per-

D 3 petuò

Maria Stuarta.

petuò valuit, ab ipſi deſtinatâ divinitus, (utì rebatur) regali benevoléntiâ. *Cantorum*, in Regia Scotica, quorum in familiaritatem ſe *Riccius* artis contuberniô penetrârat, favore promotus, ac ſemel iterúmve productus in odéum regium, & auditus; viſus eſt Reginæ *Stuártæ* dignus, & idoneus, qui, propter vocis ſuavitatem, ac flexum, ad aures & modulos ſibi ſemper eſset. Hoc ideò: quoniam & *Regina* cantandi peritiam, inter cæteras puellaris inſtitutionis diſciplinas in Auſtraſia, non pœnitendam attigerat: & ex amuſſi per *Claves ſymphonicas* vocem trahentes, cum oblectatione diſcernebat. Hic primus *Davidi Riccio* gradus ad Reginæ notitiam; ex hac, ad acuendam in *curia* mentem, & rerum uſum, fuit: donec ſenſim, & arcanioribus adhibitus arbiter, à *manu* pariter eſse *Stuartæ* cœpit; & à modulis tamen eſse (quoniam ſic *Stuartæ* placuerat) haud quaquam deſinebat. *Videbant* autem eum, & magna pars *invidebat*; cùm is ad *Reginam* aſſiduè commearet; & ab eadem, præter oculos omnium, in penetrale ſcriniorum ſuorum remearet. Viſus igitur, in paucis tempeſtatibus, Procerum Scoticorum compluribus, & *nimius*

nimius eſſe Davidis ad reginam acceſsus, & in eum reginæ, virum extollentis, ſtudium immodicum. ideóque (quod vulgò minoribus etiam in familiis evenire cernimus, ut Unius cujuſpiam altius apud dominos gratiæ culmen, cæterorum judicetur depreſſio,) *Riccii* ſummus in animo Reginæ locus, in ſummum multitudinis aulicæ deſedit odium. Id, (concitante, præter Murrayum, etiam Duglaſſio, *Mortonii* Comite,) vehementer eſt auctum: utique, poſtquam hujc, in Aulæ negotiis antehac potentiſſimo, poſtea paullatim, propter morum improbitatem detectam, adempta publicorum procuratio munerum, in Davidem eſt translata. cujus narrationis auctores ſunt; de *potentia* quidem aulicâ, Florimundus: de translatione verò potentiæ, malitiâq; morum, Obertus in Vindiciis. Igitur indignari pleriſque; plus apud Mariam, *Pedemontanum* unum (quem *Italum* vulgò vocabant), quàm Scotos, in univerſum omnes, poſſe: *Papicolámque*, nuper mendicum, nunc *Reformatæ-religionis* dynaſtis omnibus anteferri. Præ cæteris autem, infenſa Riccio *Murrayana* factio, domini ſe ſtudiis, ac geſtibus, attemperabat. & hic, præteriens, aut

aut prætereuntem illum, vix unquam oculis, niſi, vel penitùs clausîs aversîsque, vel torvùm obtuentibus, inſequebatur. Aliis, inter ſeſe muſſitare libebat, & quærere: Riccius, Reginæ ſecretis admotus conſiliis, & Regina, conſiliorum ejus arbitra, quídnam toties unà ſoli deliberarent, ac diſcuterent? ut adeò *Buchananus* ſcribere palàm non erubuerit; (67) *Sermones haud bellos, de Davidis cum regina familiaritate, ſpargi* ſolitos. Sed occurrit ſuſpicaci Scotorum-Slejdano, Galliæ ſcriptor incorruptus, Florimundus Remondus; *Riccium* (qualis eâ tunc ætate fuit, qua Reginæ ſcrinia, litteras, curas, ordinabat) deſcribens, ad Terentiani propemodum Dori (68) formam, *Veterem, vietam, veternoſam, colore muſtellino.* ſic Remondus *Davidem* iſtum, fuiſſe tradit, *Jam ſenem, effetum, ac deformem:* ideóque fidem illi, quam ſceleſti ſpargebant, *adulterii* calumniæ, *non niſi paucis* à Scotis, malevolentiæ venenô jam olim infectîs, *habitam;* à prudentibus autem irriſam. (69) Refutat malédicam Buchanani ſuſpicionem, Buchananus ipſe; de Reginæ, Scotiam è Gallia repetentis, forma narrans; *Præter diſcriminum varietatem*, Stuartam *fuiſſe commendatam excellen-*

cellentis quoque formæ bonitate, maturescentis ævi vigore; proptereáq;, variis animorum fluctuantibus in Scotia *motibus, omnes tamen ex æquo, suam videre Reginam, cupîsse.* (70) Quippeni? viraginem eo tempore, ficut ipsi Scoti prædicabant, matrimonium ejus suadentes, ORBIS PULCHERRIMAM! (71) *omniq;,* propter hoc, *officiô colendam* marito suo. De *Davidis* autem, è diverso, pulcritudine, Buchananus hic idem, ut verè, sic argutè, scribit. (72) Eum *supellectilî, cultúq; corporis, longè* Darlæum *superâsse. quam rem eò visam esse* Scotis *indigniorem: quòd, non faciem honestaret cultus, sed cultum destrueret facies. Reginam, cùm ejus Naturæ-Vitia non posset emendare, divitiis & honoribus cumulandîs, eum in supremum ordinem protrahere, nisam esse: quò* natalium *illius humilitatem, & Corporis-Vitia, fortuitæ claritatis obtentu, tegeret.*

Talî sanè, qualem *Buchananus* describit, facie, talibúsq; corporis mendîs, informis & inamabilis, *Sabaudicus* hic *Ulysses*, quônam philtrô *Calypsûs* hujus *Pictica* (73) fingitur in amicitiam illapsus? Nisi cum Nasone dicant; *Nec Ulyssem quidem æquè formosum, quàm fa-*

cundum; duas tamen cepisse Deas. (74) Facundiam planè neq; nos defuisse *Riccio*, dicimus; cùm, defuisse *formæ* gratiam, asserimus. Hîs enim oris ac labiorum armîs, assiduus & quotidianus nuptiarum, cum Henrico Darlæô, juvenum formosissimo, suasor; Riccius animum Reginæ, præ cæteris omnibus, expugnavit: ut hæc ei primô quôque tempore desponderetur, ac nuberet. Quod, quando fecisset unquam, aut quàm rationibus suis inimicô consiliô, *David* hic; si corrivalis unquam, si latens amator, fuisset? Quid pluribus hîc verbosi simus? In *noctem* æternam abeunt nugæ fabulæque Slejdani-Scotici. *Sol* Innocentiæ-Stuartææ terrarum universo theatro lucet.

XXV. Quid est igitur? aut quænam lucra spectans, in hoc Thersite Pedemontano, fœminarum illius ævi pulcherrima, *Stuarta*; tantô studio fovebat eum, & promovebat? Quæ materies alternorum illis, arcanorúmque, sermonum, tam inexhausta? Cujúsnam generis Occultorum, illa duorum assidua Solitudo? Non talis sanè (juratus affirmârim) qualis inter Davidem Jesſæum, & Bethsabæam Urianam (75): aut qualis, Pallantem inter,

ter, & Claudii Cæſaris Agrippinam (76): qualis inter Titum, ac Berenîcen; (77) inter Suetonium Tranquillum, epiſtolarum magiſtrum, & uxorem Adriani Cæſaris, Sabinam (78). minimè gentium verò, quale Secretum, inter Smettónum, & Annam Boleniam Henricianam. (79) apage talia penetralium regiorum monſtra!

Regina *Stuarta*, mulier, à teneris jam olim annis ſanctimoniæ morum, & conſcientiæ teneritudini, dedita; *matris* quoque Gviſiæ, *fœmina lectiſſima, ſummâ* (ſicut Buchananus ipſe loquitur) *diligentiâ*, quoad unà fuerunt, *educata* (80); nec ab eo rectè vivendi tenore poſtea, religioſiſſimos inter avunculos, ſeu Nanceji, ſeu Pariſiis agens, abduci ſe paſſa: redierat in Scotiam, iîs cum laudum meritis, & encomiis, qualia tribuit ei, *bienniô* priùs, quàm Darlæanas ad nuptias animum adjiceret Stuarta, *Franciſcus Sacchinus*, Italiæ cordatus Hiſtoricus (81); & mentiri, piaculum inexcuſabile crediturus. *Cùm è Galliis in Scotiam ſe Maria Regina recepiſſet; quanquam illic omnia perturbata reperiſset, & incendiô*, Scotis vicinæ, Regionis *ambuſta: tueri tamen avitam ſanctámque religionem conſtanter eniſam*

eſse.

Maria Stuarta.

esse. Quapropter, *Pius ejus conatibus, periculisque, quibus assiduè fuerit obsessa, cognitis; Summum* Ecclesiæ *Pastorem* (is Pius tunc erat Quartus) eam consolandam esse *per litteras, & Nuncium ab se missum, putâsse.* Cæterùm, ad hanc *aditus* sic *omnes interclusos & obseptos tenuisse* regni *Proceres, & Consiliarios; vix ut tandem Apostolico Nuncio semel iterúmque penetrandi potestas ad Reginam fuerit, eáque, per posticum admisso; cùm suum illa fratrem* (Jacobum spurium) *custodésq; reliquos,* studiò *summovisset, ad concionem ipsorum - rabulæ dimissos. Incredibile* præterea *memoratu,* refert; *Quantum consolationis ex eo Beatissimi Patris officio* PRÆSTANTISSIMÆ FOEMINÆ sit obortum: *animíque quantum accesserit. Renunciari Pontifici jussisse,* (*quod & per litteras ipsa professa sit*) *omnî se studio Sanctam tueri fidem: eâque* pro fide tutandâ, *paratam extrema* quæq; *subire.* Sacchinus hæc de *Stuarta.* Quibus mox, acclamationis ritu, subdit. *JAM TUM scilicet* (quo maximè tempore David ille Riccius à Secretis sensim esse cœperat) NOBILE PECTUS *istud, ad contestandam diuturnîs ærumnîs, ipsâque vitâ,* (82) *religionis Catholicæ Sanctitatem, à Virtute Divina præmuniri cœptum esse.* (83) Non

Appendix, ad Annum 1614.

Non contentus autem hîs tantîs, ac verissimîs, Heroinæ *Stuartæ* laudibus, auctor idem: alio quoque suorum Annalium Historicorum Tomo, *Reginam*, ait, *Mariam*, *Catholicæ fidei caussâ, quam strennè tutari pergeret, cùm assiduas inter insidias versaretur, & ea-propter, hortatu suorum*, (in quibus *Davidem Riccium*, locô facilè primô, numeraverimus) *Henrico Stuarto nupsisset: suô maritique nomine missum, habuisse Romæ Legatum, Guilielmum, Dumblanensem Antistitem; qui Pontifici Novo* (PIUS Quintus is erat, Quarto, vitâ functo, suffectus) *gratularetur, & obedientiam, cathedræ supremæ debitam, exhiberet.* Ex eo legato *Pontificem, cognôsse Regni statum, PIOSq; REGINÆ CONATUS*: quorum causâ proinde, destinatum ad eam, nec multò pòst & Româ missum, *Vincentium Laureum, Montis-Regalis episcopum*; Parisiis tamen aliquousque subsistere coactum. Hunc Reginam, *eâ*, quam res posceret, *dignitate venerationéque*, destinâsse, palàm suscipere. *sed, à Nobilitate* Scoticâ prohibitam; ab ea tamen (utique tandem, & cnnctanter,) impetrâsse, Puerum ut liceret, ex se Darleóque, Regibus orthodoxîs, ortum, orthodoxis quoque baptismi ritibus lustrari.

Quan-

Maria Stuarta.

Quanquam autem ea, quæ voluerat Regina, *catholicæ* ſanctitatis opera publica promovere tunc nequivit; ſicut & poſtea, per litteras ad Ducem Gviſium, & Bernardinum Mendozam, *Religionis promotionem*, atq; *Perſonium*, *filii regis inſtructorem*, poſtulando, (84) non multum profecit: id profectò ſolâ temporum, ipſius verò nullâ prorſus culpâ, ſic evénit. Sanctiſſimo tamen, interim, hodiéq;, dum iſta cóndimus, *Divis* adſcripto, pontifici *Pio Quinto* (de quo paullò ſuperiùs egimus) adeò, ſub éadem *Darleani conjugii* ſuſpicacia tempora, probata *Reginæ* virtus fuit; ut, illi ſolandæ juvandæque, non ſolùm *Monte-Regalenſem*, quem diximus, *Epiſcopum*, ad eam legaret, præſtò ſemper ipſi futurum: verùm, pecuniarium quoque ſubſidium, *ad ultimi quoque ſacri Calicis*, ſi res ità requireret, *divenditionem*, polliceretur. (85)

XXVI. Tam vehementer igitur *optimo* cujque *probatam*, tam hoſtiliter *peſſimo* cujque deterrimóque diſplicentem, & *inviſam*; exiſtimétne prudens quiſpiam, *Reginam Mariam*, (Mariæ reginæ-Matris, ac Mariæ reginæ cognatæ, regis Anglorum Henrici filiæ, ſollicitam in divinis *Imitatricem*,) adeò Pauli, gentium Doctoris, unquam oblitam; ut non animô

Appendix, ad Annum 1614.

mô circumferret aſſiduè, *Fugiendam fornicationem?* (86) *Regibus, & omnibus, in ſublimi* conſtitutis, enitendum; *ut Quietam & tranquillam vitam agant; in omni*, non modò *pietate*, verùm & *Caſtitate?* (87) *Providenda Bona, non tantùm coram DEO, ſed etiam coram omnibus hominibus?* (88) Injunctum eſse cunctis, *ab omni ſpecie* mali *ſeipſos abſtinere:* (89) quò declinent ab *offenſione* mentium, *illâ* ſaltem, quam magiſtri divinorum *Datam*, & *Activam*, appellant. (90) E diverſo verò, tam excordem quiſquam, & amentem, ac ſuæ regnorúmque Salutis incuriam, cogat, aut poſtulet, eſſe Reginam; quæ periculîs quotidianîs, & inevitabilibus, obſeſſa ſit; ad quam aditus amicorum omnes foris intercluſi ſint, & obſeſſi; quæ continuas inter inſidias verſetur, & eas quidem, ſuorúmmet, ac conjuratas: ut inter hæc obliviſci compellatur, aut ſpernere, dulciſſimi Servatoris animarum noſtrarum, præceptum, quo CAVERE jubemur AB HOMINIBUS? ubi præſertim, HOMINIS INIMICI deterrimi ſunt, ipſiúſmet DOMESTICI (91): quando frater in ſororem, ſocer in nurum, vir in conjugem, aſtu, minîs, manibus, & armîs, inſurgunt? (92)

cùm

Maria Stuarta.

cùm omnibus, circùm se, fit odio mulier; quæ *pestilentiæ cathedram*, & *concilium impiorum*, (93) hoc est, *hæresin*, odit? Oderat autem eam *Maria Stuarta*, super omne, quod esse fingive potest, odiosum.

Has jam insidias, hæc assidua pericula, tantum odiorum *intus* agmen, & *foris* obsidium, tot circumcirca structas insidias, tot intentatas manus & arma, mulier *inermis*; quo modô tandem, nisi CONSILIO fidô, depelleret? Quis *vere-fidus* autem, in omni Regia tunc Domô, Consultor, & Arcanorum custos? In tantam præsertim rerum gerendarum molem; &, omnibus Scotiæ tractibus *hæresî* conspersîs? De *Stuarta*, scriptor orthodoxus, in opere, quod *Aláno* nuncupavit, *Ecclesiæ Romanæ Cardinali*, magnâ verborum, ac veracî majestate, proclamavit; *Eâ Reginâ nihil vidisse, vel Solem pulcrius, vel FIRMIUS Ecclesiam!* (94) Idem autem & alibi, paginîs sequentibus, (95) candore Veritatis, quàm cultu sermonis, admirabilior: *Eam, unam Omnium, quæ viverent, aut victuræ forent, Optimam, & Catholicissimam*, pronuntiavit. Id porrò Religionis sanctioris, in Scotia reparandæ, studium immensum, ipsa præ se Regina

gina palàm adeò paſsímque tulerat; ut voces vibraret haud ambiguas, *Mariam ſe Scotam, Anglicanæ Mariæ veſtigia preſſuram; cognataq́ cognatam imitatricem futuram.* (96) Ea porrò, cujus & ſuperiùs eſt inſperſa mentio, *Maria*, regis Anglorum Henrici filia, poſt Eduardum VI. & ante Boleniæ filiam Eliſabetam, regnans; ſectîs, quantum ſuarum fuit virium, repreſsîs, ſacrorum cultum Catholicum locîs omnibus, gravitate virilì, reduxerat, & inſtaurârat.

XXVII. Præter hæc, *Stuarta*, cuj, regiminis principiô, ſectaria Nobilitas Ordinésque Scotiæ, Sacrificii non niſi privati copiam indulſerant, Calendis aliquando Novembribus, utpote die, Cœlitum univerſorum memoriæ ſacrô, proceſſerat ulteriùs: & *ad Miſſam* (utì Buchananus loquitur) *adhuc tenuem, ac quotidiano cultu contentam*, OMNEM *Papanæ* (miſsæ) *faſtum adjecerat*: ac ſcilicet, *Officium Divinum* lucis tam ſollemnis, ſuetâ Pontificiis hominibus organorum, ſymphoniæ, veſtiúmque, majeſtate peragendum, curârat. *Id* autem (inquit idem Scotiæ-Slejdanus) *Evangelii Miniſtros, ægerrimè ferentes, magnîs rem eam querimoniis proſequendo; publicîs in*

Maria Stuarta.

cœtibus, *Nobilitatem officii sui commonefecisse*. Controversiam continuò fuisse, privatîs in penetralibus, inter Proceres nonnullos, ac Verbi-Ministros, agitatam: *Utrum eam*, *in perniciem omnium grassaturam*, IDOLOLATRIAM (ô, linguas sacrilegas, Sathanæ discipulas!) *compescere valerent*, *intráq; legum* Puritanarum *præscripta* Reginam PER VIM *reducere?* Prædicantes evicisse; *Posse magistratum supremum* SUB LEGES VI COGI. (97) Quæ cuncta, sicut MARIÆ reginæ *jugulum-Pietatis*, clam propalámque, petebant; ità latére nullô modô, multóque minùs exhilarare, debebant, ac poterant; excidiô religionis, à stirpe paullò pôst perituræ, provisô; nisi consiliîs & operâ quàm maturrimè præveniretur.

Accedebat his, quæ retuli, seditiosarum mentium irritamentis, & novum aliud; nullâ penitùs *Stuartæ* culpâ, sed magnâ nihilô seciùs illius invidiâ.

XXVIII. Corripuerant, ab exitu statim *Jacobi V.* regis, per temporum illorum hæreticam licentiam, *Murrayus*, Jacobi spurius, & Scoticæ nobilitatis permagna pars, *Ecclesiastica* templorum ac cœnobiorum bona:

na : quod in ſuperioribus jam attigi. Diripuerant iidem, abſente tot annîs in Galliis *Stuartâ*, ſolii regii fortunas, ſupellectilem, ac theſauros; quod in ſuperioribus nondum attigeram. Ea furta ſpoliáq; domum quiſque ſuam, & in arces ſuburbanas, *Edimburgô* transportata, per nefas averterant : & averſa, detinebant. E Gallia reverſa, nonnullôq; jam tempore Regiam inſidens, *Stuarta*; jure, quod ei natura, mos gentium, ac regni Scotici leges, (quippe, viginti tres jam annos natæ) dabant, (98) ſuperioris temporis, adversùs Regium fiſcum, ac palatium, Acta reſcindit : ablata repetit; magnámque partem recipit; ut, quæ dicti moríſque veteris nec ignara, nec immemor eſſet; SUAM CUJQUE REM ESSE CHARISSIMAM : (99) quæque pater unicujque ſuus reliquiſſet, exemplô *Nabóthi*, (100) retinenda, nec manibus alienis eſſe relinquenda.

Diſplicuerunt iſta, non magìs malæ-fidei poſſeſſoribus cæteris, quàm omnium prædonum peſſimo, *Murrayo* ſpurio; qui maximam haud dubiè ſpoliorum vim, veluti ſecundîs in hæredibus, aut *legatô* ſaltem, hærens, tanquam rem ſui juris, ad ſe pertraxerat : quem

boni tamen omnes nôſsent, *Inteſtabilem* vivere decere. Fremere ſecum hic, & apud alios: curſitare, circumiréque conſcios rapinarum; & folles inflare rebellioni ſuſcitandæ. *Veniſse, pròh nefas! & adeſse, tempus, quô nemini Reformati-gregis* CHRISTI, *ſuum jus, quod cuilibet Evangelii Calviniani liberalitas largiatur, inviolatum obtinere liceat. quod idcirco niſi domì vis armata retineat, forìs, & trans maria, mendicitate mutandum ſit. A duritia ſororis ſuæ, fortunas nunc regias ad ſe retrahi: ſimplicéſq; dicto nimis audientes eſse: poſſeſsáq; refundere. Supereſse Nobilitati, quæ templorum è vaſis & utenſilibus, quæ monaſteriorum è cenſibus ac redditibus, ut extremam ſuſtentandæ dignitatis ſuæ laciniam, quiſque poſſideret; ut ea retineat. Nec in longum tamen. In proximo namque, (ſiqua fides ſibi, cunctorum Sororis arcanorum gnaro, ſit,) in veſtigio, Decretum inſtare regium; cujus fulmine fiat impetus in hæc quoque repetenda, quorum ex annona, ſalillôq;, tenuis adhuc Nobilitatis ſpiritus utcunque pendeat. Gradibus hîs, immò verò cuniculîs, & aſtu, Ruinam quæri patricii (quantus uſpiam in regno ſuperſit) floris, & propaginis: monaſteriorum, è diverſo, monachorúm-*

rúmque, basilicarum, & Sacerdotiorum, resuscitationem: inque compendio denique, pestiferi PAPISMI Regnum omne redivivum. Pignus hujus mentis suæ, dedisse Reginam, Legem Repetundarum; *in palatium* ab ea *reductam.* IN RE (clamabat Murrayus) REGIA, COEPIT: IN ECCLESIASTICA, DESINET *hæc Athalia*! (101)

Movit his questibus & asseveratione, tanquam virum unum, Nobilitatis, talium participis ac reæ, corpus omne *Puritanum*. Hi credere, de sorore, fratri; cujus credendi cogitandíque, nec caussa tunc, neque tempus, erat. Conjurare, contestaríque *Calvinianum* omne (quod in *Scotia* maximopere jam increverat) nomen: *Quidvis, & satius esse Scotis, & gloriosius, pati, vel admittere; quàm reducem Papismum. Haberet sanè suas sibi mulier, & res, & Missas. se, populósq; Scotorum, missos faceret: ac Regnum ejuraret.* Continuóque provolatum à sectariis est ad arma. quorum, qui primus motor, idem & ductor fuit, *Jacobus Stuartus*, Jacobi regis nothus, *Murraya* Comes. Sed is, conatuum irritus, Catholicorum validiore tunc vî; victoriam in ventos, fugam & pedes in Angliam, effudit. (102)

Maria Stuarta.

dit. (102) ubi sororis æmulam, *Elisabetam*, consiliis suis arctiùs adjunxit.

XXIX. In his igitur interim, tot, quæq; præcesserunt, quæque postmodo quotidiana subsecuta sunt, malîs, ærumnísque, tot perplexîs in casibus, casuúmque minîs; quónam mortalî niteretur regina *Scota* fulcrô? quô consultore SINCERO regeretur? Ede, nomina, prome, *Buchanane*, si nôsti; per omne tempus illud, seu solitariæ, seu postea maritatæ, Reginæ. Quémnam, ex omnibus, in conscientiam assumeret, agendorum, vitandorum, aut coërcendorum? *Jacobúmne Stuartum*, fratrem illegitimum? nempe, proditorem, & juratum hostem. *Fratres* alios, itidem extra legem à Jacobo Quinto susceptos, (103) *Joannem*, ac *Robertum*? at *Joannem* potentiæ suæmet, quàm sororiæ, cupidiorem; (104) ingeniíq; solutioris juvenem. at Robertum, in atroci crimine, reginæ-sororis accusatorem, apud regem-affinem: (105) & regis invicem objurgatorem apud reginam. An autem arcana crederet *Darlæo* marito? juveni, qui mox efferret hæc ad parentem, Leviniæ Comitem, utì pôst fecit: adolescenti, bono quidem aliquousque, sed, ætatis vitiô,

tiô, voluntatis haud usquequaque firmæ: de quo, vultu verbîsque, non rarò significare suêsset Baro notæ virtutis, animíque constantis, *Harrisius*; DARLÆUM, ILLIS MORIBUS, ESSE POSSE SIBI PRINCIPEM: AMICUM ESSE, NON POSSE. (106)

Crederet autem *socero* saltem, Darlæi sui patri; viróque magnæ, per annos, ac rerum usum, prudentiæ? nempe, *Matthæo Stuarto*, circa religiones diu *Catholicè* sentire viso: post hæc autem, inter honores (utì mos fert) mutari cœpto; cùmque *Proregiâ* dignitate fungeretur, Sant-Andreani præsulis, suspendiô necandi, curam & auctoritatem commodanti. (107)

XXX. Restabat igitur, cujus exquiri tutò consilium posset, & in rebus, maximè *Religionem* (cujus prima Reginæ cura semper erat) spectantibus, peti sententia; *David Riccius*: Homo *Sabaudus*, quem & *Italum*, ut dixi, vulgò nominabant: homo, Scoticis neque factionibus implicitus, neque sectis contactus. Vir (utì suprà monuimus), quantò nobilitatis ac formæ minùs, tantò judicii prudentiæque plus, habens: *Sagax* (ut Obertus

Maria Stuarta.

Stuarta vindex, loquitur) *& vafer in omnem partem; & ipso jam usu gnarus effectus Reipublicæ* tractandæ. *qui, quàm facilè videret malorum conatus, & eluderet, tam libenter laudaret consilia bonorum; & juvaret.* Vir, *qui non minùs oculos haberet videndis, quàm mentis aciem excludendis, Hæreticorum machinationibus.* (108) quo vivente, vigentéq; regiam apud aurem & curiam, *Jacobus spurius*, Pontificiæ Religionis hostis acerrimus, in Angliam nuper profugus, desperârat; priscum gratiæ florem, apud læsam Majestatis crimine Sororem, MARIAM, recuperare. Vir denique Sabaudus hic erat: *qui*, rectissimô Florimundi quoque Remondi judiciô, *nullam ob caussam* aliam, *quàm ob summam fidem & industriam, percharus reginæ*, tum fuerit; tum palàm *sit habitus.* (109) quem oderant, qui bonos omnes, & Reginam ipsam, *Catholica* quòd esset, odisse consvêrant: pessimi mortalium, & impuratissimi. Virum, ad summam! *mirum hæreticæ fraudis elidendæ, si pugnandum; eludendæ, si contradicendum esset, artificem.* (110) Quem idcirco detestabilis, & omnis in Scotiam importatæ labis auctor, *Spurius, Murrayæ Comes*, ante suum ex Anglia redi-

reditum, cupiebat eradicatum: Indè verò, circumclusum & Reginam iri, certum habebat. Ab hujus porrò, tam pravæ destinationis consilio, conscientiâque, non multùm, reor, abfuisse, sub idem tempus, in Anglia Reginam *Elisabetam*; ejúsque certè Consiliorum præsides, Cæcillium, & Walsinghamum, ac Thomam Randulphum. (111)

XXXI. In Scotia, scio, participes, & eam in rem à *Spurio* præstinatos eminus, cominúsq; fuisse; quotquot in *Davidem*, & *Religionis veteris* interitum, conjuraverunt. Est, qui conspirâsse *Quadringentos*, memoret: (112) omnes, Calvini sectatores. Sed capita, post *Murrayum*, nothum, Jacobus Duglassius, *Mortonius Comes*; Patricius *Lindesius*, Patricius *Ruvenus*, & alii: qui cum patre regis Henrici Darlæi, Matthæô, Leviniæ Comite, clanculum ea primò, quæ mente conceperant, contulerunt. Ab eo conciliabulo, protinus ad ipsum itum est *Regem*: quem, ut annîs, & usu rerum, infirmiorem, conjurationis fecêre, non jam *participem* duntaxat, sed plane *ducem*, & antecessorem. Patricio *Ruvenô*, qui Buchanano *Vir*, *manu consiliôq; promptus*, & *Summa Prudentia*; veracioribus

autem gestorum compositoribus, homo fuit, *Ad fraudem tectissimus, ad scelera promptissimus, fax & fæx sicariorum*: (113) quem diuturna febris, sed malitia diuturnior, excoxerat, ad aliud ex alio nefas audendum: Hôc, inquam, Ruvenô suggerente, *Rex* credulus narrari sibi sustinet; nec refellit, cùm posset, ac deberet: *A Davide Riccio contemni se; contemni lecti regii leges, ac reverentiam. vilipendi Nobilitatem Scoticam: dispergi disperdíq; fiscum, & opes Solii. Solum, & unum, in Regno Riccium, omnia dicere, facere, decernere: sursum cuncta deorsúmq; versare: cœlum denique terris, & has mari, miscere. Peregrinum antehac, & exulem pannosum: nunc, purpuratîs universîs inflatiorem, agere superbiâ, plusquam Monarchicâ: mendicum aliquando; nunc, Tyrannum. Quin igitur expergisceretur tandem Rex, nimiô plus lentus, è veterno suo; pavidus, è metu, difficultatibus majore; maritus uxorius, ab ea, quam infida conjux non merebatur, indulgentiâ? Surgeret ocyùs, &, injuriarum suarum ultor, virum se deniq; mœchis, indignanti verò Scotiæ Regem, præstaret.* Ista, taliúmq; similia cætera, *Regi* juvenculo, conjuratorum approbante, paritérque suburgente,

te,

Appendix, ad Annum 1614.

te, sententiâ; subjiciebat ardentis impetûs irritamenta, *Vulcanius* Ruvenus.

Cæterùm, haud scio, propitereáque nec affirmârim, abnuerímque; Criminum eorum, quæ, de contemptu Nobilitatis in Davidem à Ruveno jacta sunt, nihílne penitùs è vero, verisimilíve magìs, quàm è nudô figmentô, sit haustum? Non enim me fallit, quid, silentibus aliîs, *Buchananus* (quod quidem ego sciam, primus, ac novissimus,) tradat, in decimo septimo Scoticorum annalium; *Joanni Damiœta*, sacerdoti Gallo, discessum è Scotia sibi suadenti, respondisse Davidem: *In Scotis plus minarum esse, quàm, ad aggrediendum, animorum. Stuartum item, Murrayæ Comitem, in Scotia, spirante valentéq; se, tantum potentia nunquam esse nacturum; ut is timendus sibi jurè futurus sit:* Et, siqua genus id alia dicta factáve, tumidiorem præ se ferentia spiritum, proferre quis vellet; unde censeri *David* hic queat, Suâ nonnunquam apud Reginam potentiâ gratiâque, vel domì privatímq;, vel in ipsa subinde *Curiâ* palàm, abusus. PROCLIVIS enim, ex humili surgentibus in altissima, despectus est in inferiora, cum *vertigine*: vel æqualium circa se con-

Maria Stuarta.

contuitus, cum *supercilio*. VANO *gloriæ fulgore, citò caligant oculi: NEC aliquid, in immodica felicitate, tam infestè nobis, quàm nos ipsi, placemus*. Hinc inevitabilis ſuímet, per rimulas ſaltem radiolósque, nonnunquam oſtentatio: nævus, in omni quidem genere mortalium odioſus; ſed in *peregrino*, coram *indigenis*, cujuſdam quaſi ſpecies exprobrationis. Quod totum tamen cujuſmodi fuerit, in *optimo* cæteroqui *Davide*; nihil ſtatuo, præter id, quod jam olim jura: *Præſumi Bonum, qui non probetur eſſe malus. probationes* autem, *eſſe debere luce clariores*. (114) quam nos lucem, in Ruvenianis Davidis accuſationibus, à *Murrayo* ſubornatîs, nondum intuemur.

XXXII. REX quidem ipſe, tanti non fecit accuſatoris pleraque, Reo, nec præſenti, nec audito, criminum intorta tela; quanti, quod omnium minimi facere debuerat, ſuſpectæ conjugalis fidei mentionem, tanquam hamatum quodpiam *ſpiculum*. Quo figmentô, Davidis & Reginæ fama; Regis autem zelotypa credulitas, transverberabatur. Hôc, tanquam *apis*-aculeô, (qui *fucus* tamen fuerat,) infixô cordi, furiatus *Darleus*; cum conſpira-

ſpiratis, è veſtigio *Davidis* interficiendi ſocietatem init. Initam, chartâque conſignatam, ſubſcriptione, nomine, gemmâ, ſubſignat; in hæc, quæ conceptîs verbîs & juramentô firmabat, *tria* : propemodum Herodianâ jurisjurandi, ſed fatuâ, religione. (115)

Puræ Calvini doctrinæ, qualem Scotia recepit, ſtabilis in regno ſedes ut eſſet. Civibus, proximè pulſis, in regnum reditus, & venia. Davidi Riccio, pro meritis, mors, & interitus. Horum uti Rex auctor, Nobilitas præſens, chirographô teſtis fieret. (116)

Ab his, in hanc formam decretîs, placuit, ad efficienda confeſtim, & eodem adhuc die, procedi. Vernus is utcunque dies, & in hiemis fugam jam vergens tempus (117) erat.

XXXIII. Gerebat autem *Regina* tunc uterum, à pariendi metâ non ità multùm diſtantem. Ea propter, cùm decreviſſet, à frequentia pompâq; conviviorum ſolitâ, necnon à populi quoque, ſæpe ſuper menſas irruere ſueti, turbîs oculîsque, tantiſper removere ſe, quoad omni puerperii defuncta negotiô foret: in abſtruſius quoddam, & anguſtum Regiæ penetrale, prandendi cœnandíq; cauſsâ

causſâ per illud trimeſtre, ſecedebat. Pauciſſimi, ſed utriusq; ſexûs, adſidére vel epulo, vel colloquio, ſueti: quos inter, cæterîs crebriores, accitu Reginæ, particeps, & arbiter arcanorum ille, *David Riccius*; &, virago viragini, propter virtutem, acceptiſſima, *Comes Argatheliana*. Fortéque ſic acciderat, ut eodem illô, qui cædi Riccianæ decretus à conſpiratis fuerat, veſpere, non alii, quàm iidem duo, cum Regina cœnarent, quos nominavi; paucis adſtantibus, *Buchananô* quoque teſte, menſæ miniſtrîs: *Ricciúsque* (dubium, cujúsnam inſtinctu monitoris?) matronis mirantibus narrabat, ſuo tunc obverſantem animo veluti præſagii cujusdam ſenſum; tanquam à *pagionum* ictibus impendentis ſibi necis. (118) Explodente verò *Davidis* formidinem *Stuartâ*, prolatîs è Majeſtate loci (qui cubili reginæ contiguus eſset, & ob hoc percuſsoribus inacceſsus ab omni retrorſum ævo,) firmîs rationibus; pergebat ille, ſicut cœperat, *intus* cœnare: ſeu victô, ſeu diſſimulatô metu, perniciei ſuæ; quam illi *foris* interea, ſtudiô quàm intentiſſimô, conjurati præparabant.

Princeps ſicariorum, febrî licèt macilentus, vultu buſtuariorum ac veſpillonum, pedibus

dibus malè firmîs & fixîs, animô tamen in homicidium collectô, fervidus & acer, Patricius *Ruvénus*. Hujc proximi, Patricius *Lindesius*; Jacobus Duglaſsius, *Mortonii Comes*; Georgius Duglaſsius, Comitis Angusiæ nothus: & Andreas quidam Carræus. Ex his, *Jacobus Mortonius* (is ipſe nimirum, cuj, quondam in aula potentiſſimo, *David* ſuffectus fuerat; utì dictum in ſuperioribus eſt:), densô familiarium numerô, magnâque præterea clientium multitudine ſtipatus, advenerat. *Ruvénus* autem, quò veriùs delirum eum, è diútinæ febris reliquiis, æſtimares, armorum apparatu monſtrosô formidabilis; talarî primùm tunicâ *corpus longum*, quodam perſonatæ *mortis* ſimulacrô, velârat. tum, æneô thorace, laminîsque, femora tegentibus, ad uſque genua demiſsîs, munitus ac ſtrepens; caput, & in eo bullientem cædis inſaniam, æratâ galeâ contectum, quatiebat. Dixiſſes, in hoc uno *Ruveniano mormolycio* (119), ſi vel nulla, ferrô patrandâ, quæſita perniciês fuiſset, ſatìs ineſse potuiſse virium; ad *Reginam*, uteri tam provecti, repentinô ſuî ſuperventu contuitúque, cum fœtu pariter exanimandam. Id, quod hoſtibus *Stuartæ* quàm gratum

gratum accidiſset, & *Ruvéno* triumphale? Baſiliſcum hunc, *Regem* dixiſsent, ac *Patriæ Parentem*. Et hic quidem talis, qualis deſcriptus eſt, incedebat. *Mortonius* verò, cum conjuratorum amicioribus, in conclavi quodam exteriore, quoad res perageretur, deambulabat. In area, conclavi ſubjectâ, ſatellitum Mortonii globus ingens excubabat; in omnes intenta caſus, & accurrere prompta, ſicariorum cohors. Facinoris verò ductores illi, quos ſuprà nominavi, *Regis* ipſius (tanta latrocinii meditati dignatio, tanta majeſtas, erat!) in thalamo, qui *reginæ* cubiculo ſubjectus erat, convenerant.

XXXIV. Jam in procurſu nox erat: ac cœnæ ferè medium: cùm, *Tempus eſse faciendi*, monens aut monitus, *Ruvénus*, quinq; comitatus audaciorum ſatellitum ope, prodit: pérq; ſcalas, anguſtas admodum, & cochleæ formâ ſinuoſas, nec ad eum antehac diem ulli, niſi marito Regi, pervias, in ſupremum erumpit gradum. Et hoc fiebat, aſcenſum laborioſum ipſómet (quod indignum) præeunte *Darlæô*. Sua ſingulis arma; ſed, utì diximus, inſolentiora Cyclópi-Ruvéno. Regis hic greſsum greſsu premens, &, ingredienti

fores,

fores, inhærens; cœnatiunculam, in qua Regina, Riccius, & Argatheliana Comes, veſcebantur, irrumpit: ſequentibus & cæterîs, ac cellulam adeò complentibus, vix ut conſiſtendi locus cœnæ miniſtris eſset.

Primam *Regina* vocem, ad inſolitum Ruvéni conſpectum habitum, mittens, *Quídnam is, eô cultu, locô, tempore, ſibi velit?* interrogat. Cæterîs interim ſilentibus, Ruvénus; *Nihil cum Domina nunc nobis. Nebulonem* (inquit, in *Davidem* verſô vultu,) *nequam hominem, quærimus; qui tibi, Regina, præ cunctis unus eſt Omnia.* Simùl, *Davidem* increpitans ipſum; *Surge*, clamat, *& prodi tu, quisquis es, terræ, non noſtræ, ſed alienæ, fili! Locum, quem & hîc, & in omni Scotia, tenes, indebitum tibi, digniori cede: qui Rex, en! coràm adſtat. quem ſolum adſidere ſuæ, fas eſt, & accubare.* Simùl, imminentium exſpectatione perculsîs iis, qui circúmpedes (120) aderant, & Argatheliæ Comitis uxore; *Ruvénus* in eum, ſicut in armis erat, ibat, & ingruebat. Id *Regina* non latura, conſurgit: &, objectu gravidi corporis, mediam ſe, *Davidem* inter, & *Ruvénum*, interponens; illum protegit, iſtum aſpellit. *Rex* intercur-

rens, & mariti jure complexus eam; *Sin verò, mea lux,* (infit:) *sine, quod fit, fieri. Nemo tuam, sed tenebrionis hujus, vitam impetit: quæ devota diris est, velut ille meritus est.* Adhuc autem illâ, voce, manibus, obnisu, pro tutela viri, nil tam atrox promeriti, pugnante; contrà nituntur, & clamant, qui cum Rege Ruvenóque venerant. Ex his, truculentiores cæterîs, hinc quidem *Andreas Carreus* accurrens, sclopum, glande plumbeâ minacem, & mox exonerandum, nisi manu *Rex* eum detorsisset (121): alius aliunde, pugionem strictum, (122) in *Reginæ* protegentis pectus intentantes, *malo cavere* jubent, *omittere detestabilis hominis tutelam, ac silere: nisi cum eo protinus & ipsa perire malit.* Ità *Davidem* miserum invitæ demum reginæ, per vim extorquent. Illam, tantos inter tumultus & contentiones, *abortienti*, quàm *parturienti*, viciniorem, in cœnaculo, mœstitiâque, relinquunt.

Davidem autem, in proximum primò cubile, mox in procœtónem, (123) raptant; in quo *Jacobus* (ut dixi) *Duglassius*, *Mortonii Comes*, cum plurimis suorum, præstolabantur agendi tempus, & reum. Ut primùm illuc

lluc cum eo ventum est, supplice, (124) palpitante, *Justitiam* (quæ nusquam apud conjuratos erat) *implorante* (125): primus omnium *Georgius* eum ferit, *Duglassius*, Angusiæ Comitis filius illegitimus. (126) Sub hunc, proximi quique, multitudo magna; pars ensibus & sarissis, alii pugionibus, jacentem invadunt, confodiunt, lacerant. quos inter, ne non partem haberet, sê dignam, ac scilicet aliîs omnibus magìs conspicuam & regiam, *Darleus* quoque *Stuartus*, Stuartæ maritus, suum exercuit, ac facti fœdi sociis approbavit, *pugionem*: quem in corpus prostrati *Davidis* plagâ defixum altissimâ, fixum quoque reliquit: & abiit.

In hunc, quem retuli, modum confectus, jacuit *Riccius*, à Secretis olim Reginæ; silentii fidi tenacissimus: tunc autem *rimarum*, quas plagæ fecerant, *plenus*: *& hàc illàc*, emanante sanguine, *perfluens*. (127) Est certê, qui vulnerum numerum ad *quadringenta* perducat, & memoriæ prodat. quod ego, *Davidis* istius in corpore, nequaquam gigantæo, per *figuram* potiùs *Rhétorum*, *in majus res extollentem*, quàm ad exactam historicæ Veritatis legem, relatum cen-

ſuerim. Perquam ſanè lubricum eſt, A nu-
mero *quadringentorum*, quos conſpirâſse ru-
mor fuerat, ad totidem, inflictarum cæſo-
plagarum Summam à credulis transſcriptori-
bus devolvi: ſi concedatur narrantibus, *A*
ſingulis conſpirantium, ſingulos fuiſse, nec plures
aut pauciores, illatos ictus. Quod tardam
apud prudentes reperiet fidem. multò verò
tardiorem; Totidem ibi præſtò fuiſse per-
cuſsores, quot concilii percuſſionis parti-
cipes extiterunt. (128)

Cæterùm, fuerit *David* hic interfecto-
ribus ſuis, & Calvini diſcipulis, dignus viſus
qui tolleretur è medio: *Malus* (ut ajebant)
Italus: *Auferes* autem, (clamabant,) ídque
divinô præceptô, *malum de terra.* (129)
Malus utique, conjuratis fuit. ſed (quod in
Vindiciis *Obertus* inquit) *malus malis*; (130)
conſiliorum Sectæ-*Murrayanæ*, *ſummus, & ſo-*
lus, obex; (131) legationis, ad Concilium
Oecumenicum ſub Pio IV. mittendæ, fau-
tor, ſuaſor, &c, quantum in eo fuit, apud Regi-
nam promotor. Is deniq;, quem, *tam bonum*,
interîſse, rebus adhuc infectîs, *ſatis mali re-*
gno fuit. (132) Addebant his qui partium
in Anglia Scotiâque ſaniorum erant, Præco-
nii

Appendix, ad Annum 1614.

niis hujus defuncti : *Bonorum in animis habituram semper, ut BONI viri, Reipublicæq; bono consulentis, gratissimam Davidis memoriam.* (133) Quam ego monumenti funeralis inscriptionem, vel *unicam*, pluris, quàm omnia simul necis illius auctorum, sed plerorumq; pessimè post hæc extinctorum, Epitaphia facio. Suum cujque diem, è vitæ meritis, hora suprema remetîtur. Sed, ad rerum ordinem redimus.

XXXV. Peractâ *Riccii* cæde, cujus ipse sibi sub eandem vesperam, cygni more, præcentor ac vates, (uti dixi) fuerat; & in diversa dilapsô, propter suscepti facinoris ruborem & conscientiam, Darlæô rege; nec ausô tunc, dedécoris exprobrationísque verecundâ fugâ, subire conjugales oculos: *Regina*, quídnam actum esset, è concursationibus ac tumultuatione, satìs supérq; cognitô; pæne solitaria, vel summùm, *Argabeliâ* Comite, pauculîsque pedisequîs præsentibus, afflictabat sese, suam, in ministri fidissimi nece, contumeliam deplorans : cùm ecce, qui principiò cùm *Rege* venerat, idem tunc sinè *Rege*, nec magìs, quàm antea, vocatus, in penetrale *Reginæ* redit, & irrumpit,

F 3 infor-

Maria Stuarta.

informis ille, ſtolatúsq; pariter & armatus, Morphevs, *Patricius Ruvénus*; communi juxtà, cœlitum ac mortalium, odium. Is, haud ſecus ab ea, quam deſcripſi, carnificinâ reverſus, ac Pyrgopolinîces vetus à debellato Perſâ; nec, tanquam *David Bethlehemites* à cæſo viro *ſpurio Goliatho*, ſed è diverſo, veluti *ſpurii Murrayi* ſatelles, *ab interfecto Davide Sabaudiô*, ſudans & *ſitiens*; continuò, coram Regina *ſtante*, lacrymantéque, *ſeſſum* ſe recipit. Ibi, *bibere* ſicarius impudens, ceu re præclarè geſtâ, poſcit.

In quæ, *Reginæ* dolor ingenuus, indignitate facti ſimul, & verborum, tunicati gladiatoris exaſperatus, non cohibuit eam ultra; quin & hæc, in inſuetum aliàs ſibi loquendi morem, prorumperet: ac *latronem ſævum, proditorem perfidum, Puritanum impurum*, eum appellans, exprobraret ei, dignúmque malîs omnibus clamaret: *Quòd, qui Regiæ domûs propinquus haberi vellet, cujus liberi Regis ſeſe conſobrinos jactarent; is, primos inter parricidas, Tartareo cuipiam ſpectro, quàm homini conſanguineo, ſimilior, omni proculcatâ Majeſtatis reverentiâ, Regium in penetrale, nulli, niſi vocato, pervium, irrupiſset. quòd,* con-

contemptô, quin & studiosè procuratô, vicini partûs periculô, Regium, eúmque primum utrimque, fœtum, tot illatis prægnanti formidinibus, extinctum venisset; si non & jam revera, sub eundem temporis articulum, extinxisset, gratô quibusdam lividis Anglis, & gratiore Ruveni-similibus Scotis, regicidiô. Nec his contentum improbè factis; super hæc, patratâ fidelissimi ministrorum aulæ-regiæ cæde, densare porrò pravitatis exempla; Solíque venerabilis despectum, aliis super alia ludibriis ac monstris, augere. Quid enim iste sibi furialis è laniena reditus vellet? & cur ad se potiùs, læsam, quàm ad aliquem, sceleris sui participum, sese conferret? ut graculo graculus, non turturi vultur, assidéret? Quid autem & potum sibi flagitaret, in regali potiùs gynæconitide (134); *quàm in gáneis, ac popinis? Etsi, quid* (inquit, ulteriùs exardescens, Stuarta) *quid sitis? & cur bibere porrò concupiscis; qui, cruore Davidis exhaustô, titubas, & ebrius es? & idcirco, tam vecors, ac rationis impos, ut, omnis immemor reverentiæ civilis, me Reginâ Tuâ stante, Tu, legum præscriptô mihi subditus, tanquam Imperator sedeas; ac sedere nunc etiam, ecce, pergas.* (135) *monstrum ruris, & barbariæ!*

XXXVI. Pollebat ingeniô *Regina*. quapropter &, ingeniô florentium more, nôrat, in loco temporéque, pro dignitate, rerúmque necessitudine, respondere *cum majestate*; reprehenderéque *cum aculeo*, Sectas-professos. Sicut tunc, cùm in *Ruvenum* inveheretur, palàm fecit. At in *Ruvéno* tunc quidem, utpote veternoso stipite, non multum profecit: nec *Ruvenus* invicem in Regina; quippe, gravitatis suæ retinente. Cùm enim ille suam, adstante *Stuartá*, sessitationem debilitate virium, longitudine morbi collectam, tueretur, & purgaret: *excusationem* protinus, & petulanter, in repetitam vertit *accusationem*. *Solum unum Davidem (& hunc exterum, & agyrtam,) in gratiæ regalis gremio sedisse, Troëm, ac Paridem. se Scotos, & in regno genitos, illi fuisse quisquilias hominum, ac militiæ Thersitas. Illi neminem unum è Nobilitate Caledoniá* (136) liberum *visum esse caput: proptereáque, vice versâ, nec illum videri cujquam debuisse, nisi* servile *corpus. quod his proinde compunctum notis sit; stylô pugionum, qualem hujus stigmatiæ pellis, ac membrana, meruerit. Non hodiernum id, aut hesternô primùm excogitatum fuis-*

Appendix, ad Annum 1614.

fuisse consiliô; Sterni telîs, & opprimi, violentam nimis, ac despoticam, *imperitandi libidinem. In regno, quod ad legum præscripta, consensûque Nobilitatis, (137) administretur (quale Scotorum sit) ne Regum quidem antiquorum quenquam impunè tulisse dominatum immodicum: neque laturum præsentium quemcunque regnantium, sine pernicie sua, tantam* patriciatûs *in Scotia* contumeliam. *quantò minùs igitur, inopem census, hæreditatis, imaginum, & ipsius adeò panis atri, nisi precarii commendicatiq;*, Rizium? (138)

Hæc, *inflammatô magis, quàm Subditum decuisset, animô sermonéque* prolocutus Ruvenus; *Reginam* indidem vehementiùs incendit. Discessum igitur est, exasperatîs utrimque mentibus, ac meditamentîs. Sed *Reginæ* justiores cùm essent indignandi caussæ, nihilo secius (ut *in regno* fieri solet *Iniquitatis*) vis & impudentia præpotuit illius *Secta*, cujus *Ruvénus* erat; quæque Regum, Principum, & omnis supremi Magistratûs, flagello nata videtur, atque depressioni: *Puritanam* dico.

XXXVII. Nam, ecce; vix à *Regina* digressus *lævernio* (quid enim aliud?) *Ruvenus*, ad factionem suam, & miscendas res,

F 5 sese

Maria Stuarta.

ſeſe receperat: cùm, pro cœnatiunculæ regiæ, de qua dictum ſæpius eſt, foribus *octoginta* (139) præſtò *milites armati* ſunt; ad incluſam intus *Reginam* arctìs excubiîs attinendam, ac, necunde poſset elabi, circumſidendam: ne fortè vel hac etiam ex parte quidquam ſceleri *Murrayanorum* deeſset, ad *partum* regium, iîs ſaltem preſsum anguſtiîs, *abigendum*, ac ſpes ſolii ſupremas *ſpurio Stuarto* confirmandas: qui decretô ſecum pertinacî, *vel vivere nolebat, vel regnare deſtinârat*. (140)

Hôc tempore, tam iniquô, mortalium neminem *Regina* circùm ſe videns, qui tantis in malis opem ſibi, vel evadendi conſilium, offerret; eò convertere cogitationes omnes, oculóſque cœpit, quò ſolent ac debent, quibus omnis eſt in cœlo DEOq; defixa fiducia. Quocirca, collectìs, è turba rerum, & indignatione, ſenſibus animi; totam in illa ſolitudine ſeſe precibus, & obſecrationi Numinis, tradidit: largas inter lacrymas, & ſingultus, ſéque, ſuáſq; tot ærumnas, & periclitantem uterum, ſed omnium maximè, *Religionis orthodoxæ cauſſam*, Regi-cœli commendans. Et adfuit in tempore, ſubmiſſum ex alto, ſolatium. (141) Cùm

Appendix, ad Annum 1614.

Cùm enim, sub idem ipsum rerum omnium turbamentum, inirentur à conjuratis consilia, de Regina juxtà, ponderéque ventris, & universo per Scotiam *Catholico* nomine cultúq;, de medio tollendîs; Darlæo verò solo, per temporis aliquantillum, in possessione Solii retinendô, (142) donec & hunc, si *Pontificius* esse pergeret, *Murrayus* amoveret: *Salus ex* ipsis (quis sperâsset?) *Inimicis* (143) oborta, difficultatibus inextricabilibus enodandis manum admovit. Sive namque verum sit, quod *Slejdanus* ille *Scoticus* (144) scriptum, & post eum Gallicus auctor exscriptum, reliquit; *Murrayum Comitem* (qui Davidis cædi postridie statim, & consultò, tanquam gestorum penitùs ignarus, ex Anglia supervenerat) ad Reginam inclusam, clam & ultro, vel accersitum, penetrâsse; quŏ sorori Regem, & illam Regi, Davidis interfectori, reconciliaret: ut, hâc fraudis *hypocritica* strophâ, *Murrayus* ipse cædis penitùs, & insons, & inscius, fuisse crederetur: Sive certius, veróque propinquius sit, quod alius tradidit (145) illorum temporum æqualis, (nullâ factâ Murrayani ministerii mentione,) DEI SOLIUS id opus fuisse,

ſe, pretiúmq; STUARTÆ precum, & lacrymarum: ità certè tunc evénit, Ut *Henrico regi* divinitus ea mens injiceretur, quò ſemetipſum prior, & ultrò, nullo ſubmonente ſpuriô, revocaret ad æqui rectiq; leges: facinus admiſſum exſecraretur, & deploraret: uxori flens, ac ſupplex, utì reus, ad pedes accideret. Quo tempore tamen illa, nec inter fuſas utrimque lacrymas, regiæ monſtrandæ propaginis, & gravitatis, immemor: multîs eum, acribúſque, cœpit objurgare verbîs, *Qui nunc demum ſegregare cogitationes ſuas ordiretur à machinamentis, & molitionibus, Ruvenorum, Mortoniorum, Carræorum: quibus, interfectô Davide, nihil in Scotia propoſitum mitius fuiſſet, quàm in Anglia* (146) *Cæcilliis, Randolfis, VValſinghamis, Eliſabetæ conſultoribus: Excisâ regiâ Scotorum & legitimâ ſtirpe, poſt extinctam matrem, ac prolem, ad extremum & patrem prolis aggredi: quoádq; poſſint, corpore ſimul eum & animo tenus eradicare. Regnum autem tradere manibus, regno non natis.* In quæ, repetitîs utrimq; lamentîs, reditum in gratiam eſt; ac non multò pòſt in libertatem à Regina, viâ talî.

XXXVIII. Tumultuante variîs in diver-

verſum, ſed regiæ cumprimis inſidiosîs infeſtîsq; ſtudiis, conſpiratione Procerum, *Edimburgi* (quo locô *Davidica* fuerat omnis illa tragœdia peracta); cùm timeret, ac ſatìs *Regina* perſpiceret, quorſum extremus ejus Actus eſset erupturus: initô cum conjuge clam conſiliô, fugâ ſalutem utriuſque collocandam in tuto, conſtituit; at nocte, taciturnitate, diſſimulatione, ſummâ. Conſentit rex. diffingitur habitus, plebejîs amborum veſtibus; & aſsumitur in arcani conſcientiam, ac miniſterium, Scotus, nobilitate præſignis, *Georgius Setonius*. Cum hoc, Aprili præcipitî, nocte concubiâ, per poſticum arcis regiæ dilapſi, *Setonianas* primùm in ædes, & arcem, ſilentes correptant. Palàm dehinc, & apertô *ducentorum*, quos *Setonius* contraxerat, equitum comitatu, *Dumbarraum* in caſtrum, ac munitionem, perveniunt. Ibi, confirmatîs armatorum numerô, floréq;, copiîs, *Regina* Majô menſe, Juniíve parte, legem *quæſtionémq; De Sicariis*, in cauſsa *Davidis*, exercet; haud ſinè quorundam (ſed, ut plurimùm obſcuriorum,) ſceleris convictorum, ſupremô ſuppliciô. Tenebrionum autem illuſtriores, pars in Angliam; in Alpe-

ſtria

Maria Stuarta.

ſtria Caledoniorum ſaltuum alii, profugerant. Sub quæ, Dumbarrô Regina STUARTA, cùm jam præ foribus *æſtivum* eſſet *Solſtitium*, (147) Edimburgum regreſsa; Junii tandem die decimô nonô, Sæculi decimi ſexti quintô, ſupra Sexageſimum, annô, (148) filium edidit; quem in *baptiſmo* poſtea JACOBUM nominavit: Scotiæ regum ejus-appellationis SEXTUM; *Britanniæ* verò *Magnæ* poſtmodo factum, dictúmque, PRIMUM. cujus magnorum & multiplicium poſtmodum, in vita regnîsque, diſcriminum, *Septenniô* nobis *Primô* delibatorum, præſagium jam tunc *uterus* fuerat; ærumnîs concuſsus ingentibus: & ætatulæ primæ dura maláque rudimenta.

Cæterùm, compoſitæ tantiſper, & ad concordiam optabilem reductæ, videri res ac turbæ poterant aulicæ: vivebántq; tranquillitate, quàm nuper, inter ſe pacatiore, Rex *Henricus*, & *Maria* regina: niſi, quòd ille, ſenſu conſilióque, ſicut ætate, ſic in regni tractandis rebus, juveniliore fluctuaret: ideóq; temperamentô conjugis (*bis* jam *reginæ*, negotiorúmque publicorum doctioris,) interdum indigeret. ut adeò *regendus* tunc

potiùs,

potiùs, quàm *audiendus*, esset: si boni publici, ceu par erat, ratio major, quàm alicujus offensiunculæ privatæ, duceretur. Et *Rex* prudentiori, *naturâq;* non minùs *Reginæ* sibi, quàm *uxori* factæ, libenter acquiescebat. Is rerum ergò status menses propemodum quindecim tenuit: cùm malorum, longè, quàm antehac, atrociorum mare novum, ac tempestas immanis, ab iisdem illis suscitata turbinibus insurrexit, qui bienniô priùs perflaverant Scotiam; & conjurationis in Davidem Reginámque capita sese præbuerant: *Darlæus Rex*, & *Jacobus Stuartus* spurius, *Murrayæ Comes*. Semina mali præcipua, mutuæ fuerunt, alterius super altero, *suspiciones*; hâc origine.

XXXIX. Quo tempore reginæ reconciliatus *Rex*, (utì suo locô dictum est,) culpam *abunde flens* deprecatus est; eodem ipso sermonum commerciô, *Reginæ* fidum se per omnia maritum ostensurus, universam ei conjurationis adversùs *Riccium* initæ, seriem, initium, auctores, decreta, ministeriáque, detexerat. In iis verò, primum consiliorum omnium cardinem, *Murrayum*, spurium reginæ fratrem, (quippe, Ruvéni, Duglassiorum,

rum, ac cæterorum, impulſorem,) nominârat. Id totum, ut in paucis ſuî ſexûs prudens erat, apud ſe tacitum *Regina* continuit. Ut autem, *Divi Pauli* conſilio morem geſtura, ne ſpurio quidem, peſtis omnis auctori, *Malum pro malo redderet, ſed vinceret in bono malum* (149): non modò ſcelerum præteritorum gratiam ei facit, ſed, *tanquam verè legitimâ ſibi germanitate* junctum, pro *Murraya Comitis* uſurpatâ priùs appellatione, *fratrem* eum incipit, ab illo temporis articulô, compellare; mulier, (hôc ſaltem in facto) prudentibus viſa nonnihilô profuſior, & indulgentior: ac, propter hoc, in æquales ſuî documentum miſſura, cavendæ titulorum immodicæ prodigitatis, (150) in capita præſertim, malitiam inveteratam aliquouſque diſſingentia, ſub emendationis larvâ; ſed, pro re nata, quondam in perniciem eruptura patronorum. Id, quod à *Murrayo* deinceps obtigit *reginæ Stuartæ*: ceu ſequentia monſtrabunt. Omnino, præfeſtinati vel *compellationum*, vel *Inſignium*, honores, ambitioſis aut gratìs, aut venum, dati, *Cornua* ſunt *cervina*; malè domitis equis ad frontem addita. Non animos illis erga munificum, ſed auda-

audaciam in ſcelus, addunt; in auctorem inſurrectura. Quid, quòd, præter hoc, iſtam *reginæ* civilitatem, impudens *Murrayi* ſpurii mater, *Aſkinia*, conata mox fuit, in dedécoris ſui gloriam, & exadverſum in regii generis dedecus, vertere? quando mœcha, ſaga, malefica, ſeſe jactare palàm, haud erubuit, *Jacobi Quinti regis legitimam uxorem*. (151) quæ ſanè duorum, uno tempore, fuerat. Nec eò magìs tamen interim, mendaciô matris adulteræ, decedere filio potuit *Nothi* primævum agnomen: uſqueadeo quidem, ut abhinc latiùs quoque gliſceret; & nec *Buchanani*, (Comitis alioqui Murrayæ per omnia ſtudioſiſſimi ſcriptoris,) potuerit *circumlocutione* (152) deleri. Sed ad MARIAM revertamur. Hæc *ſpurium*, *Marriæ* quondam, (153) deinde *Murrayæ*, Comitatibus extulerat. ad extremum autem, & *fraterni* tunc agnominis auctoratione condecorârat. Hæc his *tot*, congeſtis in talem fratrem, ornamentîs, necdum contenta; nequam hominem, quò ſibi quàm fidiſſimum eum in perpetuum redderet, inſuper *in Conſiliorum* (ut *Obertus* in *Vindiciis* loquitur) *ſecretiorum ſocietatem aſciſcit*: hoc eſt, *Davidi* fidiſſimo,

ſumméque Catholico, Davidis proditorem perfidiſſimum, & Puritanorum vexilliferum, ſubſtituit. *Omnî* demum hunc *honore*, ſive *privatim conſulat*, *ſive* palàm *appellet*, *extollit.* (154) Quod, quid aliud erat, quàm, ad *Cleopatræ* morem, inter papillas aſpidem fovere; celeri morſu pectus invaſuram?

Inter hæc autem, éadem, & *marito Regi* (nec immeritò) paullatim magis ac magìs ſe dare, redderéque; nonnihilóque ſeveriùs interdum antehac, (utpote, *Malæ tractationis in Uxorem Reo,*) pro meritis habito, (155) nunc clementer loqui; bene paſſim ei facere; familiariùs annuere; laboranti, fomenta remediáq; præbere: nec ullam conjugalis in eum officii partem prætermittere.

XL. Videbant hæc; & invidebant, alter alteri, tam prolixam Reginæ benevolentiam: Murrayus Regi, rex Murrayo. Verebatur hic, ne, quod factum jam erat, id, in tam arcto maritalis amoris reſtitutô nexu, fieret: ac *Darlæus* ſcilicet Stuartæ ſuæ, *Stuarti ſpurii* nefandas in eam molitiones aperiret. unde promptum ab ea ſibi capitis diſcrimen, & interitus, immineret. QUOD enim quiſque, ſæpe ſe meritum, novit; id ſemper exſpectat.

Appendix, ad Annum 1614.

ſpectat. Formidabat, è diverſo, *Darlæus* exploratam ſibi, compertiſſimâmque, *Murrayi* malitiam: quâ, ſi pergeret apud reginam ſororem, more Davidis, omnia poſse; potentiam demum ſuam in ſe, ceu Regem duntaxat *inſititium*, cum ſuæ ſalutis excidio, verteret. Id autem, ſinè controverſia, furentis hominis ſcelere tentatum, atque perfectum iri; ſimulac Regina ſpurio pandere cœpiſſet, quidquid ex rege de conſiliis ejus in ipſam cognôſset. Ei ſe, conjurationis malè tectæ pœnas, & *proditionis proditæ* ſupplicia, daturum. Itaque, ſuſpectus alter alteri, continuos inter angores agebant: in id unicum intenti ſemper, uter utrum prior è vivis exterminaret. Eam in rem ſua, dies noctéſque meditabundi, ſtudia coquebant, & agitabant. Illud ſolum, inter conatus amborum, intererat: quòd alter, *apertô* nimis propoſiti ſui *ſtrepitu*, rem aggrediebatur; *taciturnitate* contrà *ſubdolâ*, graſſabatur alter, (& ideo longè potentiùs,) in perniciem inimici. *Darlæus* quippe, non contentus, enuntiâſse Reginæ conjugi ſuam, adversùs *Murrayum*, malæ mentis obſtinationem, & interficiendi decretum, (à quo tamen hæc eum graviter, nec

finè minis, deterrebat) insuper, ut in quemvis obvium, consiliis suis opportunum, incidisse sibi visus esset, eum, (utpote juventâ præceps, & inconsultus,) ultrò, prior, appellare, quasi per amicitiam; invitare, tanquam pro communione studiorum, ad facti societatem; pellicere cunctabundos, regiæ deinceps gratiæ promissîs. Ità prorsus juveniliter in complurium se conscientiam promiscuè spargebat. Quo proinde necessariò factum est, ut, *Quod citò per omnes cucurrerat arcanum, id denique nec Capitis impetiti, (Murrayi Comitis) præteriret aures.*

Is, altissimâ rumoris, erga sororem *Reginam*, dissimulatione, mentem suam velans; versutâ consiliorum industriâ destinati sibi facinoris socios, & administros, comparat: *Jacobum Duglassium, Mortonii Comitem*, exercitatum jam nuper in cæde *Riccii* gladiatorem; & *Jacobum Heburnum, Bothueliæ Comitem*, (156) Scotici subinde maris thalassarchum. *Tres* hi *Jacobi*, spurius, Mortonius, archipirata (157) Bothuelius, in unius *Henrici* Darlæi necem conspirant; ità suum quisque partiti munus: ut *spurius* consiliis *auctor* fieret; agendorúmq; tempus & modum at-

tem-

temperans, de cætero, cædi præsens ipse non
interesset, *sororis* fallendæ caussâ. neci pa-
randæ, *Mortonius*, & *Bothuelius*, manum o-
perámque commodarent. negotiô confectô,
Stuartus nothus Bothuelio reginæ sororis nu-
ptias, quà suasu, quà vi, conficeret & ex-
torqueret. Id eâ caussâ, cum Mortonio,
spurius Murrayus struebat, nequitiæ perditis-
simæ *panurgus* (158): ut, post regem inter-
fectum, *Mariâ Reginâ* paullò pôst in Bo-
thuelii constitutâ matrimoniô, repentè Bo-
thuelius, jam non ut *reus* duntaxat, aut
suspectus, (utì dein accidit,) sed prorsus con-
victus damnatúsque regiæ cædis, unà cum
reginâ, ceu *consciâ*, scelerísque procuratrice,
populorum in odium inciderent; &, capitis
accersiti, perirent; *puer* autem *regius*, Puri-
tanorum manibus permitteretur: Stuartus
spurius in solium eveheretur: extinctâq; re-
ligione majorum, omnibus in locis, Scotia
tota soli se Calvino manciparet. Ità cessa-
turas, Scoticæ præsertim Nobilitatis, assiduas
querelas; *Hôc semifultô Regni statu*, *Mat-
thæum Stuartum Levinium*, *sacrorum ancipi-
tem*; *Henricum Stuartum Darlæum*, *uxoriè Ca-
tholicum*; *Mariam Stuartam*, *in partes Ponti-*

G 3 *ficias*

Maria Stuarta.

ficias totam incumbentem. (159) *Jacobum verò Stuartum, sesquiennem Mariæ partum, è lacte papillæ Catholicæ, dubii quondam fortassis exitûs futurum. In solis unicis propemodum* Stuartis duobus, *Evangelii PVRI superesse lucidam inconcussámq; constantiam. quorum*, Andreas Stuartus Ochiltrius, *à Regni nuper arcanis scriniis, palàm contestatus sit, ante Darlæi cum Maria nuptias*; Se nunquam assensurum, ut REX Papanæ factionis assumeretur: (160) *Alter, (hic ipse* Jacobus Stuartus, *nothus,) ante cunctos alios*, Sacrorum-Reformationem Puritanam *in Scotiam invexerit; eversionem* Idololatriæ *templorúmq; promoverit: privatis reginæ sororis* Missis *sese graviter, ac multùm, opposuerit. Qui deniq; Vir sit, unus unicè regnô, detrusâ* muliere, *dignissimus.*

Hæc, in *Darlæum* maritum, Murrayi, Mortonii, Bothuelii, consilia, *Reginam optimam* penitùs latebant; útque, ne per conjecturæ quidem ullius rimulam emanarent ad illam; à conspiratis admaturabantur.

XLI. Annus cœperat, ab ortu Christi, millesimus, quingentesimus, sexagesimus septimus (161); trienniô jam nuptiarum Reginæ

Appendix, ad Annum 1614.

ginæ Darlæique procedente: quando *Regem*, mediâ ferè brumâ, tentare virium debilitas est orsa; morbôque subinde notabiliore, visa gravescere: nisi, quòd remedium, è domicilii salubrioris delectu petitum, non inutile deprehendebatur; ex arce Palatina, privatas in ædes urbis Edimburgensis, ægrô translatô. *Comitis* illi primùm *Araniæ*, principis Hamiltoniorum familiæ, domus, ut urbis locô commodô sita, placuerat. ubi proinde decumbentem, crebrò *Regina* visebat *uxor*. Jámque revalescentem sensim, incertum, quónam, astutô tamen haud dubiè consiliô, *Murrayus* inimicus induxit; ut, *Araniano* relictô per causam qualemqualem hospitiô, transiret ad *Kirkofeldii* cujusdam summœnianas ædes, suburbanis agris imminentes. Nec ibi cubantem *Regina* deserebat; eò cum pedisequis ventitans, ægrotantémque tenerîs alloquiîs, & assessu, mulcens. (162) Sed tardiusculè succedêre plena valetudo videbatur: apparebátque, Languorem illum, *animi* potiùs (è malè gestorum, gerendorúmque, conscientiâ) quàm *membrorum* esse: quippe, queis formæ succíque nihil admodum decederet; cùm inter hæc tamen

men gementis crebra, ſicut morbô feſsorum, ſuſpiria reſonarent. Sed nimirum, infirmior ille valetudinis habitus, præludium erat, permiſsu vindictâve Numinis, morbo lento celeris ſuccesſuræ mortis. Davidem Darlæus ſuâ ſociorúmque manu ſuſtulerat, ſi vel negâſsent *Innocentem* fuiſse; certè quidem (quod negare nemo poterat) *Inauditum*: quantò minùs, *Convictum?* & hunc inſuper, Jus & æquum invocantem: ac Supremum Juſtitiæ tribunal appellantem. ſed fruſtrà! Nempe, *Non vacabat.* Quaſi verô, qui trahere miſerum, ac raptare, potuerunt ad lanienam, & mactare; non iidem interea, dilatô furore, propellere truderéque valuisſent in cuſtodiam; & in reum viâ legum, ac quæſtionibus, agere: quoad de cauſsâ criminibúsque luceſceret? Nunc, *nec quid, nec quare*, tantummodo, *quoniam oderant, & mentientibus crediderant*, interfecerunt. EN, SANGUIS EJUS EXQUIRITUR! (163) *Quicunque* ſic *fuderit humanum ſanguinem, fundetur & ſanguis illius* (164): aut *offocabitur*, ut *Darlæo* tunc evénit; & hoc (ut Aſtrææ manum accuratam agnoſceres) ſub idipſum ſanè tempus, in quod ſeſe, vertente

tente mensium rotâ , *Ricciana* cædis *Annus* circumagebat. (165) Sed nec cæteri percussorum duces impunè facinus illud tulêre: velut in tempore memorari pòsset. Sed nos nunc *in rege* versamur; utì cædis *aucto-re* principe, sic in *fronte* conspirationis castigatô.

XLII. *Februarius* tunc mensis erat. quo tempore Nobilitatis Scoticæ vis ingens *Edimburgum*, & ut in *Bacchanalium* viciniam, & ad *conventum* ordinis illius agitandum, confluxerat. unde, futurum conjurati sperabant, ut in tam conferta dynastarum, equitum-auratorum, ac famulitiorum, multitudine, quodvis facinus impingi cujvis, è turba quoque, posset. Venerant eodem, ut aliquamdiu ferè quotidie, Jacobus Duglassius, *Mortonii Comes*; &, agens in proximo, Jacobus Heburnus, *Bothuelia* Comes, ac populares conjurationis: Joannes Hepbornus, Bothveliani sceleris administer, & ex ejus Comitis interiore familiaritate. tum & Joannes Hajus, Tallowensis: ac Pontejus quidam, & Paris, & Dugglisius; ille (ni fallor) de quo superiùs quoq; dictum est, Comitis Angusiani nothus, *Davidis* percussor

primus. (166) Jámque dies illuxerat Februarii *decimus:* (167) cùm *Murrayus* ſpurius, per cauſsam uxoris Agnetis, in oppido Sant-Andreano decumbentis, viſendæ, neceſſitatem abitûs repentini, vel fingit, vel exaggerat. Quòque, per abſentiam illam, declinet omnem conſcientiæ, de *Regicidio* futuro, ſuſpicionem; decimâ ſextâ priùs, aut ſiquid ampliùs erat, horâ, quàm Darlæo vis inferretur, *Edimburgô* diſcedit. In ipſo verò procinctu, vel ingreſsu potiùs, itineris, in obvium ſibi dynaſtam incidens, *Harriſium,* (168) quem, è ſuſpicionibus malè fultîs, proptereáque falsò, crediderat, à Darlæo rege clanculum alieniorem; *Bonô jubet eum eſse poſthac animô. Nam in diem* (inquit) *craſtini, Darlæus ſuperſtes nequaquam erit.* (169)

Scires, ex compacto *Murrayum* præſcîſse, Quid ſceleris in regem, & intrà quos quantósque temporis cancellos, ab ſe conſtituti latrones id expedituri forent.

In eum ipſum porrò, quem dixi, Februarii decimum, quémq; Buchananus *Dominicum* fuiſse meminit, (170) *Sebaſtiani* cujuſdam, è ſymphoniacis aulicis, nuptiæ ſollemnes, & populô palàm, inciderant. Iis, ut

ut in Regia celebratis, ad honorandos ſponſos, intererat & *Regina*. Luce verò veſperaſcente; ne mariti videri poſset oblita, relictîs epularum oblectamentîs, è palatio deſcendit; ad languentem regem reviſendum. Cum hoc jucundè, quantum diurni ſuperfuit temporis, inter ſermones hilares exactô; vale demum dictô, nec non in mutui monimentum amoris *annulô* donatô, regiam arcem thalamúmque ſuum repetiit: omnium, quæ Regi jamjam imminebant, ſicut ignara, ſic planè ſecura. Nec Rex futurorum plus anxius, quàm illa conſcia; dormitum tranquillè conceſſit: intimâ duntaxat tunicâ contectus: veſtimentorum cæterîs, ac ſoleîs, ponè lectulum ſepoſitîs: at puerô, non plus unô, miniſterii cauſsâ, juxtà regem, diversô ſtratô, cubante.

Dormire cœperant, aut dormituris eſse proximi; noctíſque *tertia* jam *hora* procedebat: (171) quando cum puero *Rex*, ſeu ſopiti jam, ſeu ſemiſomnes, opprimuntur, & pereunt. Sed hujus rei geſtæ narratio, quoddam diverſitatis bivium habet apud expoſitores; cujus útraque ſemita concurrere cum *vero* non poteſt: altera, *veri-ſimilitudine* ſuperare fortaſſis alteram poteſt. Sunt

Maria Stuarta.

Sunt ergò, qui tradant; ædibus, in quibus prope mœnia *Rex* pernoctare cogitârat, (quippe, valetudinis ſuæ ſuetô diverſoriô,) conjuratorum operâ pridie ſubditâ ſulphuris, ac nitrati pulveris, copiâ non exiguâ, ſuffertas cupas; exſpectâſſe conductas ad hoc incendiariorum manus. eas, intrà tertiam quartámque noctis horam, applicitîs funiculîs pyriîs, imperata perfeciſſe: Regémque, famulúmque regis, eô temporis momentô, cum ædificio pariter, in ſublime jactos, indidémque longiùs propulſos, avolâſſe; quippe, *foris* poſtmodùm, extra pomœria, repertos. (172) At negant, qui tunc in rem venire præſentem potuerunt, ac vivîs eam oculîs explorare: negant, ajo, quidquam in toto Regis corpore, (ſicut à violentia pulveris, ſaxorúmq; fragmentîs, eventurum fuerât,) aut fractum, aut contuſum, lividúmve, deprehenſum.

Aliorum igitur, eorúmq; longè plurium, ſicuti veriſimilior, ità receptior eſt, fama monimentorum; *Strangulatione* priùs, ac *ſimpliciter*, eliſos intrà thalamum; poſtmodò continuò foràs in hortulum, muro propinquum, exportatos, jacuiſſe; quoad invenirentur.

Appendix, ad Annum 1614.

rentur. Verùm & hæc ipſa rei ſimplicior expoſitio, non uniusmodi, ſed (ut ſic dicam) quodammodo *bilinguis* eſt. Sunt enim, quibus placeat; Manentem eodem, quo relictus à Regina fuerat, cubili Regem, nec inſidiarum quidquam metuentem; quieti ſe tradidiſse: ſub qua, nullìs aliîs rerum ambagibus, à *Bothuelio*, chlamyde militari ſe diffingere conatô, ſcelerísq; ſatellitibus aliis, claves nactîs, &, irrumpentibus, præventus, ſuffocatúsque ſit. Alii referebant; Bothuelii, cæterorúmque, diverſis è viæ flexibus coëuntium, ſtrepitu pedum, non ſatìs cohibitô, Regem ſenſim excitatum. protinúsq; cum ephebo, priuſquam percuſsores irruerent, lectulô ſeſe proripuiſse: ſimùl, ſilentiô ſummô, ſubterraneum in locum (putà, cellam domûs ejus vinariam, aut oporothécam,) ſe retruſiſse: pavitantem illic, &, deterrima quæq; præparari ſibi, non dubitantem. At illos, cubiculô tandem reſeratô, nec tamen illic Darlæô repertô, veſtigia, ſabuloſis impreſsa latebris, eſse ſcrutatos: interímque, *canis* oberrantis *latratum* perſecutos, in eos demum incidiſse; trepidos protraxiſse; gulam utriuſque fregiſse. deinde, patra-

Maria Stuarta.

patratîs omnibus, hortulo, quem dixi, præfocatos intulisse. (173) quò verò vis ea, non sicariis, sed violentiæ dissilientis incendiô domûs-hospitæ, tribueretur; vî subjecti nitrati pulveris, & continuò pòst inflammati, diversorium regium in auras esse, tanquam impetu tonitrûs, expulsum.

XLIII. Cæterùm *Rex*, qualicunque tandem interitûs genere locôque perierit; irreparabili fatô perierat. Cujus pernicie vulgatâ, populus in terrore, nobilitas in motu, Regina dignîs in lamentis, erat: minimè gentium autem, vel in Stoicâ mentis æquilibritate, *nullo*, *partem in alterutram*, *indiciô*, pectoris arcana *prodente*; vel *altissimô* mox, *in multum usq; diem*, productô *somnô*; tanquam *in summa* suî *securitate*. quorum tamen utrumque, more suô, *Buchananus* audacissimè comminiscitur. (174) *Cadaver*, quoniam *Puritani* proceres, splendore quidem funeris publicô, *Sectariorum tamen ritibus*, & exsequiîs, *Catholicæ* viduæ pudendîs, efferre destinârant; *Regina* sibi præripuit: noctéque proximè subsecutâ, nullo cantilenarum *hæreticarum* ululatu prosequente, per *mystam* suum *domesticum*, terræ mandavit, illius

lius cœnobii, templíque; quod, orthodoxìs ſæculìs, *Sanctæ Crucis* dicebatur, & fuerat. (175) Secundùm hæc, in anctores regiæ necis inquiſitura *vidua*; negotium ejus rei, tum aliis quibuſdam, tum ante cæteros *Gillespîco Cambello*, de quo dictum in ſuperioribus eſt, *Argathelia Comiti* delégat: illi nempe, cujus uxor, reginæ perfamiliaris, cœnæ, ſub qua *David Riccius* periit, interfuerat. Is rem, & ut *Calvinô*, quàm Juſtitiæ ſtudiô, plenior, & præter hæc, eidem ipſi, quæ regem ſuſtulerat, conſpirationi clam innexus; incuriâ notabilî, pænéque ſtertenti, quàm lento, ſimilior, curavit. Jámque propius nihil erat, quàm, ut in tantô quæſitorum tepore, criminis actio tota refrigeſcens, congelaſceret: & ad extremum, effectu caſſa, diffluèret.

Sed invaleſcebant, nec ullo modo compeſci poterant, qui jam in Angliam paſſim avolârant, rumores & epiſtolæ, de nece Darlæanâ: ferebantúrque facinoris atrocis auctores præcipui, *Murrayus*, & *Mortonius*, Comites. Præ cunctis tamen aliis, apud Scotos ipſos, & Edimburgi cumprimis, in ſuſpicione ſceleris hærebat, *Comes Bothuelius*, Jacobus

cobus Heburnus : quippe, quem, *Regicidii* die, nunc solitarium pæne, mox Joannis Hepborni, cæterorúmq; satellitiô sicariorum cinctum, hàc illac, & prorsum retrorsúmque, tendentem, plerumque verò, circa diversorium regium vagantem, cursitantémque, populus, & vicinia, notâssent. Is novissimè, nullâ vî contra publici rumoris, & infamiæ, torrentem defendi validus, comprehenditur; &, è custodia protractus, tribunali regio sistitur. Dat *Regina* Judices, quos credebat æquos; & ignorabat, ipso Gillespicô, quæsitore primô, contaminatiores esse: quia conjurationis participes, & *Murrayo spurio* quodvis in facinus addictos. Inter hos (ô nefas!) & *Mortonius* sedebat, *Bothuelii* sicarii ductor, & lanista; cæteráq; latronum factio. quorum omnium sententiâ, (quoniam, si damnâssent reum, proditionis timebatur detectio,) *Bothuelius* regiæ cædis purus, & insons, pronuntiatur. Discedit hic à tribunali, quò vinctus venerat, paullô pòst, triumphans, & cum palma. Nec id satis: nisi remearet indè, nuptiarum quoque regiarum candidatus; &, abs se nuper occisi regis, nunc in thorum successor designa-

ſignatus: ingenti, novôque, ſed *Reginam* in univerſum latente, parricidarum principum ſcelere. quod tale, cujuſmodi paucis referam, fuit.

XLIV. Quo tempore *Murrayus* ſpurius, & Jacobus Duglaſſius, *Mortonii Comes*, Bothuelium Comitem pertraxerunt in partes ſuas, utì ſecum, cúmque cæteris, in necem Regis, non modò nomen, ſed inſuper, ſuapte manu, primôque locô jugulandi, fidem daret: quò firmiùs eum illigatum ſibi tenerent; ipſi, talium avido, Reginæ, maritô jam alterô cariturae, novóque tertio, (nullâ dum pulcritudinis innatæ deminutione factâ,) vacaturæ, conjugium ſpoponderunt, operâ ſuâ procurandum. Erat *Bothuelius*, ſpecie, corporíſque dignitate, non multùm infra *regalem*: & animus adhæc altus; alta ſemper, & immodica, ſupráque ſe poſita, ſpirans & affectans. *Regina* præterea ſpecies ei, ſupra *Gordoniæ* ſuæ formam (nam mulieris, è *Gordoniorum* familia, maritus erat) plurimùm arridebat. Amare cœperat reginam *Bothuelius*, ut & *Araniæ* Comes, *Hamiltonius*; illius frequentî, dum aulæ curas obeunt, aſpectu prolecti: deperibántque clam

Maria Stuarta.

eam uterque, ſcientes, volentes; ſed neſcientem, ac nolentem. Itura res igitur in *Suſanna* quandam tragœdiam redivivam erat, ſi ſe *Stuarta* (quod nefas) ſolitudo nuda ſolis, & flagrantibus, etiam inſciens, obtuliſſet. Sed hi duo, (ſecus, ac *Suſannæi Judices* illi,) ſtudia procandi ſua, conſcientiaque, diviſerant. & Hamiltonii Comitis ardor, vota ſua parte nullâ tenuit. Nos hic in Bothuelio ſumus pertexendo. Quò minùs hic reginâ *Stuartâ* potiturus eſſe videretur; *Gorgonia* ſuperſtes obſtabat uxor, Comitis Huntilæi ſoror. Sed vafer, &, hoc ſceleſtô conſiliô, *Sororis* in perniciem intentus, *Murrayus*; cum *Mortonio*, cæterîſque, difficultatem eam, in *Eccleſia præſertim Calvini*, tanquam *nodum in ſtirpo*, ridentes; *Bothuelio*, dubitanti nonnihil, negotii facilitatem, ex *divortii* copia monſtrârunt; &, ultrò flecti cupienti, nullâ mole perſuaſerunt. FIT *Regiæ cadis manupretium*, *fœminarum orbis pulcherrima* (176) depactum *connubium* adhuc vivô Rege; tum præterea, neſciâ ſique ſciret, deteſtaturâ, Reginâ. Tamen in hæc pacta nefaria, *Bothuelius* exultat hanc, tanquam ex aſtris propitiis oblatam demiſ-

Appendix, ad Annum 1614.

demiſsámque prædam, in antecesſum ſibi gratulatur. & confore, pollicentur; quotquot in Darlæum conjurârant. Seſe conſiliîs, ope, viribus armatîs, adjuturos. In id à ſingulis, & universîs, *Bothuelius* aufert jusjurandum, chirographum, gemmæ ſigillum. Diſcedit; & homicidium, ordine, quô dicebamus, exſequitur. (177)

Inter hæc, quaſi *fortunâ* quoque *ſceleris præmia promovente*, Bothuelii ſocrus, animadversâ (ſicut ego reor) generi-Comitis, à filia ſua, clarâ ſatìs alienatione; diſceſſionem ejus à viro, prior, & ultrò, molítur. mox, Judicibus efflagitatîs, & mariti nullîs ingratiîs, eam extorquet. dimiſſáque *Gordonia*, ſeu morbô corporis, ſeu (quod vero propius) animi mœrore, paullò pòſt vitâ decedit. (178)

Bothuelius ergò jam, & uxore ſimul, & impoſitô ſibi cædis crimine, liberatus; *Murrayum*, & conſcios cæteros, de promiſſis ſibi *Reginæ-nuptiîs*, appellat. pactorum, & opis, admonet: ſyngraphîsq; prolatîs, ſponſalium maturationem, & *Thalaſſiónem*, urget. Uſqueadeò verò non detrectant eam, conſcii compoſitoréſque fœderis, operam; ut *Murrayus*

rayus præsertim, omnis, ut primæ, sic &
novissimæ, repertor ac pertextor nequiti
futurus, Reginam intrepidus adeat: ac, tan
quam ore Procerum omnium (qui tame
non erant, nisi deterrimus quisque,) suade
roget, obsecret, utì consilium, quod alla
rus ipse sit, Regina quoque probet. Ea
ipse, post multas verborum flexuras alias, si
sollemnes, novissimè, quæsitissimîs ratio
num complurium momentîs inculcatîs, (17
(tanquam, qui *Riccii* tunc locum, in sugge
rendis summâ fidelitate consiliîs, teneat
urget impellítque; *Viro se denuò, nec*
primô quoque tempore, tantîs vidui statûs
periculis, ac regni turbîs, jungere meminer
Nubendi verò si certa sit; libertatis suæ m
nicas non in incertum, nec in obvii cujusl
brachia mittere, festinet: sed intrà regnum
& cum delectu, generis, dignitatis, muneris, or
namentorum, ac formæ. Talem, Jacobum
se, stirpis Hepburnorum; auctoritate, Bothu
Comitem; functione, maris-Pretorem; reb
bellô pacéque gestîs, Inclytum; oris ac form
dotibus, æqualium Ævi sui nemini posthabe
dum. Et super hæc; *Eum, & Mariam*
regnare, regnaturósque procreare; Regni,

que Scotorum publica, *plurimùm interesse*. Sic ille.

XLV. Quæ verò verbîs *Murrayus* sorori suaserat; eádem & persuadere *litterîs* paullò pòst, de via missîs, conatus est. (180) Cùm autem *deserta* vix ulla, non dicam, *Juvencula*, (qualis *Stuarta* tunc) sed vel *Andrómachês*, aut *Niobês* ætate venerabilis, injectam nuptiarum mentionem impatienter ferat: *Regina* tamen, tum rumorem infamiámq; *Bothuelianam*, de necato rege; tum, hærentem etiam tunc illi (post crimen licèt judiciô purgatum,) suspicionem, & horrens, & causata: tergiversabatur. Præterea verò, *lecti jugalis*, à tam recenti mariti proximi funere repetiti, *festinationem* eam dedécori sibi (nec abs re) ducens; *spurii* monitis ac stimulis *Maria* seriò demum obnuntiavit. Et verò, CUI moderato placere MATRONA posset, QUÆ NIHIL ULLI NEGAT?

Instantibus autem, tum eodem, quem dixi, primô nuptiarum conciliatore, tum cæterîs quoque, qui de composito supervenerant, regni Proceribus: nondum tamen cedere *Stuarta* maluit, quàm aliquantisper è

conſpectu planè recedere; quietiora per otium ac ſeceſsum conſilia, cum ſuorum aliquot aliis, *ſanctioris Arcani* participibus, agitatura. Seceſſit igitur, primùm quidem in oppidulum, quod *Kirchlifiam* vulgò nominant. (181) Indè verò, propter nimiam Edimburgenſis Regiæ viciniam, in urbem tranſit *Sterlinum*; aliquantò remotiorem, ad Occiduam cœli plagam, Scotiæ munitionem: ubi filius tunc infantulus educabatur. quorum neutrum latuit ſpurium, *Murraya* Comitem. Is monet (non autem *Stuarta*, capi deſiderans; utì mendaciſſimè *Buchananus*, in duodevicesimo rerum Scoticarum librô, fingit): monet, inquam, Bothuelium Murrayus, Quid opus facto, quantâque celeritate, ſit, ni prædam, tam nunc tempeſtivam, elabi malit. Advolat, hôc excitatus ſtimulô, ſummâ *Bothuelius* feſtinatione; cum magna nequiſſimorum manu: tempus itérque Reginæ, Sterlinô rediturae, per emiſsarios ſuos explorat. viâ mediâ locatîs armatorum inſidiîs, venientem ad *Almonis pontem*, intercipit; ignaram, inſtructus à ſpurio; renitentem, & invitam, violentus ipſe, monſtratîſque, ni pareat, armorum imperiîs. E medio

dio

lio suorum comitatu rapta, maritimum illud in propugnaculum, cuj *Dumbarro* nomen, abripitur. (182) Ibi, jactatîs Bothuelius Ordinum regni tabulîs, quibus suâ quisque manu gemmâque voluntatem suam, approbationémque conjunctionis Reginæ cum Bothuelio, testaretur (& verò, libellum ejuscemodi raptor, à conjuratorum Prócerum præcipuis extortum, apportârat): *Stuarta* petit, in nuptias illas, *ex animi sententia depromptum*, assensum. *Daret hoc illa solitudinis utrimque suæ solatio. nam & illi virum, & sibi thori sociam, deesse. daret id regiæ propaginis incremento: daret denique Scoticæ Nobilitatis decreto; quod, non nisi sanguinis indigenæ virum, & ex indigenis, stirpem claram, & ex omni stirpium claritudine, Bothuelium Comitem, Oceani patrii summum Prætorem, sibi Regem, cum illâ Reginâ, destinârit. Summatim igitur; Aut sibi nuberet: aut innupta, periret!*

In hæc raptoris verba, blanditiîs, decretîs, minîs, armata; tardè quidem, & perquam ægrè, sed denique tamen, manus Regina cùm dedisset (quoniam secus, evasuram se manus sollicitatoris, desperabat); haud est oblíta, connubialium pactorum in capite

Maria Stuarta.

principiîsque collocare, Juramentum, *DE REDVCENDA*, *communibus secum studiîs, in regnum, Orthodoxâ veterum Religione.* Quod non detrectavit *Bothuelius*: complurib́usque coràm, in hæc, utrimque data fides est, & accepta. Sponsus *Orthodoxum* sese professus est; *Puritanis* idcirco, post hæc (etiam eam ob caussam) invisior: *Satellésq; Pontificius*, ac *Patriæ proditor*, appellatus. (183) Nuptiæ, morâ nullâ, *regiâ* magis *pompâ*, quàm *Reginæ voluptate*, palàm peractæ.

XLVI. Quo loco, dubitarem equidem, *Succenseréne* magìs *Reginæ*, prisci rigoris Censores, deberent; an *commiserari?* *Posterius* quidem, ob innumera, quæ postea miseram obruêre, mala; non aliô copiosiùs, quàm harum è fonte *nuptiarum*, in eam derivata. *Prius* autem illud; Propter *connubii* præsentis (*& quidem talis*) in oculis totius Insulæ, tam sagacis, & suspicacis, ac nasutæ, *deproperationem*. Querebantur severiores: *In unum & eundem conjectas, non Annum modò, sed pene trientem anni, prioris conjugis Inferias; & successoris ejus geniales epulas, atque noctem. Nónne, Romanarum saltem veterum observari lugendi-leges, decuisse; quæ capitis vidui calán-*

ticam

ticam floridis mutari, nisi pleno ferè Solis circumactô curriculô, vetuerint? Quid, quòd & assumptum in cubile Virum Scotia viderit, homicidii maritalis suspicione contactum? quid, quòd, licèt cædis absolutum, à tribunali tamen, æquè suspectô, contaminatôq;, cubilis interim regii penetralibus introductum esse, regni sequior pars ingemuerit? Nónne, casta sanctaq;, (qualis haberi Regina soleret, & vellet,) præstiturum fuisse, millies emori; quàm in tale lecti venire fœdus? At interim, *Religionis bono* consultum iri, Scotia melior sperabat. *Quasi verò, vel facienda mala sint, vel species admittenda mali; quò prodeant indè bona?* (184) *Nónne, probis quoque, DEOq; gratis, Omnia*, (certô sanôque sensu) *licere; non Omnia tamen expedire? quin imò, nec quævis etiam expedientia, Christianæ sanctimoniæ decôra duci.* (185) *Reginam, cui cordi suum fuisset domesticum honesti studium; inter tot myriadas oculorum Britanniæ, quorum intentissimis excubiis semper observaretur*, his in nuptiis *décoris publici non debuisse negligere rationem.* Nuberet *unaquaq;* pari; *non natalibus magis, quàm virtutibus, & integritate famæ: nullo* Criminis Impedimentô.

Quibus ego talibus, inquam, taliúmque simi-

ſimilibus, utrimque ventilatîs, rerum momentis, dubius aliquantiſper hæſiſſem; Notæne rigidioris homines, *Stuartæ* factum hoc excusâſſent; an arguiſſent? niſi præſumptum haberem; Inter Sapientes paſſim omnes conſtare, fixîſque receptum ſententiîs eſſe: NECESSITATEM INEVITABILEM, in re, nondùm ad fundùm liquidâ, Legibus ut plurimùm eſſe fortiorem. Ad hæc: *Juris* quoque ſubinde, quantò magìs autem FACTI? (quod, à Bothuelio patratum, Reginam fugerat,) IGNORATIONEM, quæ *vinci* depellíve nequiverit, peccati neminem alligare: donec nubes erroris, oculo mentis detracta, claram animi lucem admittat; veriora proferentem. Præterea, NIHIL EX OMNI PARTE BEATUM, & exactum, *in humanis* eſſe; quis ignorat? & *In fœmina* præſertim (etiam *coronatâ*) quis actui, non ad omnem uſquequaque decoris amuſſim incedenti, gravatè veniam det; inopiámque conſilii condonet? cùm rectè veréque, coactu Numinis (opinor,) à ſceleſtiſſimô licèt, ac cæterà mendaciſſimô, pſeudoprophetâ ſcriptum ſciamus, & agnitum, in ejus Alcoráni quadam Azoára:

Præter

Præter MARIAM, *Jesu Nazareni Matrem, nullam unquam fuisse mulierum, per omnia perfectam & absolutam.* (186) Hujc ergò MARIÆ-JESU, Nazarenæ, libentissimè palmam concesserit Virtutis omnis ac Sapientiæ, MARIA-JACOBI, Scotica: síque sic necesse fuerit confiteri nos, in hoc duntaxat nuptiarum *præcipitiô* titubatum ab ea nonnihil fuisse; sanè titubaverit! Tu, siqua graviùs eam accuses, (ut *Elisabeta* fecit *Anglica*,) talî si locô, conditionéque temporum, fuisses: & sensisses aliter; & in scopulum utique detestabiliorem incurrisses. Sed ad propositum revertamur.

XLVII. *Bothuelius*, se *cepisse* Reginam, & habere, *bonô suô*, ratus est. Sed invicem, eodem ipsô tempore, *Bothuelium* simul, ac *reginam*, fraude suâ consceleratus *Murrayus* irretitos tenuit; & astrinxit, illorum *utriusque malô*. Quod unicum namque tot hucusque molitionibus *homo nequam* quæsierat, ut *Reginam*, non jam *Nobilitati* (quod in *Davide* priùs tentârat, & perfecerat,) sed *omni* quoque Scotorum *populo*, Reginæ partibus adhuc studenti, redderet invisam, & quasi *morte* quoque *dignam*; unde pòst sibi (spurio)

Maria Stuarta.

rio) proximus ad solium gradus (si, regium quoque puerum extingui, contingeret,) exstrueretur: Id ille tunc assecutus, iis confectis publicatisque *Bothuelianis* nuptiis, videbatur.

Cum suis ergò, Mortonióque maximè, totâ passim Scotiâ divulgat, & Angliâ; quidquid machinatus ipse cum suis erat. *Ut Rex Darlaus à Bothuelio necaretur, id totum machinatam esse Reginam. Bothuelium commodâsse Regicidio manus: sed Reginam imperium, auctoritatem, & conjugii sponsionem. Bothuelium, cadis, circumscriptione credulitatique Judicum, (ut humana sint,) absolutum esse. reginam, ut neuter absolvi posset, impudentiâ fecisse suâ: dum ei, quicum pacta, maritô tum superstite, nuptias sit, (& has quidem, pretiô pignoréq; necis maritalis,) nunc, publicâ sanguinariæ mercedis exsolutione, lectum sternat; dum latus ei fidémq; societ; dum communium, ex se, liberûm quærendorum copiam faciat. Utrumq; proinde morte, propter illatam innoxio regi mortem, dignos: nuptias autem illas, innuptas, irritas, exsecrabiles esse; proptereáq; dirimendas, etiam illius, quam reducturos se jurârint, Religionis Decretis, & Canonibus.* (187) Cla-

Appendix, ad Annum 1614.

Clamantur hæc, & inculcantur; de pulpitis, & per fora. Creduntur, damnantur; vindicanda decernuntur. Populus, nobilitas, miles, arma capiunt; conglobantur; ad ſigna concurrunt. Teſsera circumvolat, vociferantium, *Arma, tela, mucrones, in Bothuelium, & Stuartam!* Murrayus, ac Mortonius, claſſicum canunt; & belli faces inflammant. In Reginam, Dunkeliæ, (Scotiæ Borealis urbe,) Quæſitores, ac Rhadamanthi, ſedent inexorabiles; *Mortonius, Atholius, Tillebonius,* cætera dicaſterii *Puritani* ſynagoga. (188) Clamant omnes, & unâ voce; *Tolle, tolle, de terra, de ſolio, duo terræ ſoliique portenta talia! Non enim fas eſt, hujusmodi, vel vivere, vel regnare.* (189) Fuerúntque, qui vexillum, aut lábarum, erigerent, cuj picturam aſsuërant; in qua *Regis occiſi* conſpiceretur effigies; cum notis illatæ violentæ manûs; ponéque regis imaginem, imago filioli regii, duodecim tunc menſium natu vix majoris. Et hic tamen (memoratu ridiculum, undénam unius anni puerulo, ſenſus, & intelligendi vis? unde vocis oratoriæ facultas, infanti, nondum fanti?) viſebatur, *à DEO, parricidii vindictam expoſcens.* (190)

XLVIII. Hoc *rebelles* vexillum, à militibus duobus geminas inter haſtas expaſſum, quaquaverſum, & quoties in *Stuartam* incidiſſent, oculis ejus objiciebant; in oppidis, & in caſtris. Nam, paucos intrà dies, & caſtra caſtris oppoſita ſunt; & ad manus inimicâ mente ventum. Cùm autem *Duncalmô*, quô locô rebellium ſe copiæ conglobârant, *Bortvvícum*, ubi Regina tunc cum *Bothuelio* morabatur, exercitus hoſtium univerſus contenderet, in locum & *arcem*, octo circiter milliaribus Edimburgô diſtantem: hi, priusquam in caſtello comprehenderentur, veſtium mutatione, celeritatéque fugæ, periculum evaſerunt; *Dumbarríq;* munitionem maritimam tenuerunt. Ibi Regina, confluentibus ad ipſam terrâ marîque pluribus, nondum Majeſtatis ejus oblitîs, juſtas, & aciem auſuras, copias, paucîs admodum diebus, contrahit. Has Dumbarrô *Carberillum* ducit; confligere parata. Sed perduellionis duces, antè, quàm prælio concurreretur, Gulielmo *Kircadio* quodam, Grangiano, miſſô feciali; Reginæ, quaſi per *Pacis* ſtudium, mente tamen interim aliam coquente fraudem, *genibus flexîs*, auctores fuerunt;

erunt; utì *Bothuelium*, ceu Regiæ cædis manifeſtum, & *Scotiæ publicum odium*, abs ſe, ſignîsque ſuîs, & thalamô, ſegregaret. Secundùm hæc, ad votum omnia conventura. Simùl autem, idem ipſe Pacis interpres, à Proceribus conjuratis ſedulò priùs ſubornatus (quippe, veritîs, ne Regis interfector, pacis conditione talî furiatus, Darlæanæ Cædis omne conſilium, & auctores, propalaret) reginâ clàm, nec advertente, *Bothuelio* ſuadet ſpontaneam, eámque quàm tectiſſimam, & celerrimam, ex omni Britannia, fugam: ni vitæ, magnorúmque (ſi pareat, ſibi decretorum,) præmiorum jacturam malit.

XLIX. Hîs inducti fraudulentorum promiſsîs, cedunt, *Bothuelius* Scotiâ, *Stuarta* campô, copiîsque; quas ſub ſignis habuerat. Et ille quidem mari ventísque ſe tradit; archipiraticam exin' per maria Septentrionis exercens: donec, decenniô ferè pòſt, in Dania captivitas illum, & anni, conſumpſerunt. (191) Regina verò, pacta ſui militis dimiſſionem incolumem, cum *Kircadio*; nullâ, nec morâ, nec trepidatione, contendit in hoſtium caſtra. Quo locô, ſe totam Procerum, (aliam jam frontem in armis induentium,)

tium,) arbitrio juſsísq; permittere compellitur. Ab his inermis ipſa, ſed armatorum denſo ſonorôque cincta comitatu; primùm *Edimburgum*, nihil à captiva, cultu quoq;, veſtibúsque diſtans, (quippe, tuniculâ cooperta vilî, nec multùm infrà genua deſcendente,) deducitur. Illuc, pronô jam in noctem die, præ virium inopia vix hærens equo, vultu lacrymîs & pulvere viæ conſpersô, venit; *fatigata*, non magìs equi ſuccuſſione quàm militaribus in agmine petulantiſſimorum lurconum acclamationibus; *Reginam ſuam* (ſit verbis venia!) *ſcortum*, & *mariticidam*, *rogô flammîsq; dignam*, vociferantium. Hæc illa tunc ſuſtinebat, indigniſſima ſuîs meritîs, opprobria. Pròh, quantùm diverſîs ab ea pompâ ſpectaculîs, quibus, Reginarum formoſiſſima, Pariſiîs ad ſponſum olim Valeſium, regni Deſignatum hæredem, deducta fuit; & Galliam admiratione ſui concuſſit! Unde rerum videas humanarum mirificam Inconſtantiam: & odiſse fugeréque nôris.

Ut primùm autem, has inter indignitates, (nec tamen nullîs populi commiſerantis gemitibus, ac lacrymîs, intermixtas,) non in arcem

arcem denique, ſed ædes alienas, infrà regiam, pervénit; illic, eâ diverſorii parte, quæ ſubjectam urbis aream, civiúmque collectam illic multitudinem reſpiciebat, paullùm ſe colligit. Indè verò fortuitò (ſicuti ſudantes ſolent) animæ laxandæ, captandæque liberioris auræ cauſsâ, diduxit feneſtras; ac reſpirans, uti proſpectu nonnullo cœpit, & à mœrore ſeſe reficere: cùm, ecce, continuò novi mœroris irritamentum, illud, de quo dixi, *vexillum* adeſt. In eo picti, *Darlæus* maritus, occiſus; ac, vindictæ rogator, *infans filius*, utì memoravimus; à geminis illis tenebrionibus, per ſubluſtre crepuſculum, *Reginæ* proſpectanti deſuper, ſicut in via priùs, & caſtrîs, objiciuntur; concuſsîsque, de quib. pendebant, haſtîs, ei, velut per exprobrationem cædis, obtruduntur. Lacrymîs igitur infuſa denuò, támque fœdam à profugo *Bothuelio* ſibi relictam, ex thori ſocietate, ſuſpicionem plangens; reductîs feneſtrîs, in intima ſe penetralia conjecit. (192) Hîc illa noctem eam, densîs vigilum excubiîs circumſepta, *carceréque* veriùs clauſa, quàm in *libera cuſtodia*, mœrens exegit. Die verò poſterò, *Lavini* lacûs in caſtrum quoddam

principiîsque collocare, Juramentum, *DE REDVCENDA*, *communibus secum studiis, in regnum, Orthodoxâ veterum Religione.* Quod non detrectavit *Bothuelius*: compluribúsque coràm, in hæc, utrimque data fides est, & accepta. Sponsus *Orthodoxum* sese professus est; *Puritanis* idcirco, post hæc (etiam eam ob caussam) invisior: *Satellésq; Pontificius*, ac *Patriæ proditor*, appellatus. (183) Nuptiæ, morâ nullâ, *regiâ* magis *pompâ*, quàm *Reginæ voluptate*, palàm peractæ.

XLVI. Quo loco, dubitarem equidem, *Succenseréne* magis *Reginæ*, prisci rigoris Censores, deberent; an *commiserari*? *Posterius* quidem, ob innumera, quæ postea miseram obruêre, mala; non aliô copiosiùs, quàm harum è fonte *nuptiarum*, in eam derivata. *Prius* autem illud; Propter *connubii* præsentis (*& quidem talis*) in oculis totius Insulæ, tam sagacis, & suspicacis, ac nasutæ, *deproperationem*. Querebantur severiores: *In unum & eundem conjectas, non Annum modò, sed pæne trientem anni, prioris conjugis Inferias; & successoris ejus geniales epulas, atque noctem. Nónne, Romanarum saltem veterum observare lugendi-leges, decuisse; quæ capitis vidui calán-*

ticam

Appendix, ad Annum 1614.

ticam floridis mutari, niſi pleno ferè Solis circumactô curriculô, vetuerint? Quid, quòd & aſſumptum in cubile Virum Scotia viderit, homicidii maritalis ſuſpicione contactum? quid, quòd, licèt cædis abſolutum, à tribunali tamen, æquè ſuſpectô, contaminatôq;, cubilis interim regii penetralibus introductum eſſe, regni ſequior pars ingemuerit? Nónne, caſtæ ſanctæq;, (qualis haberi Regina ſoleret, & vellet,) præſtiturum fuiſſe, millies emori; quàm in tale lecti venire fœdus? At interim, *Religionis bono* conſultum iri, Scotia melior ſperabat. *Quaſi verò, vel facienda mala ſint, vel ſpecies admittenda mali; quò prodeant indè bona?* (184) *Nónne, probis quoque, DEOq; gratis, Omnia*, (certô ſanôque ſenſu) *licere; non Omnia tamen expedire? quin imò, nec quævis etiam expedientia, Chriſtianæ ſanctimoniæ decôra duci.* (185) *Reginam, cui cordi ſuum fuiſſet domeſticum honeſti ſtudium; inter tot myriadas oculorum Britanniæ, quorum intentiſſimis excubiis ſemper obſervaretur*, his in nuptiis *décoris publici non debuiſſe negligere rationem.* Nuberet *unaquæq;* pari; *non natalibus magis, quàm virtutibus, & integritate famæ: nullo* Criminis Impedimentô.

Quibus ego talibus, inquam, taliúmque ſimi-

ſimilibus, utrimque ventilatîs, rerum momentis, dubius aliquantiſper hæſiſsem; Notæne rigidioris homines, *Stuartæ* factum hoc excusâſsent; an arguiſsent? niſi præſumptum haberem; Inter Sapientes paſſim omnes conſtare, fixîſque receptum ſententiîs eſse: NECESSITATEM INEVITABILEM, in re, nondùm ad fundum liquidâ, Legibus ut plurimùm eſse fortiorem. Ad hæc: *Juris* quoque ſubìnde, quantò magìs autem FACTI? (quod, à Bothuelio patratum, Reginam fugerat,) IGNORATIONEM, quæ *vinci* depellìve nequiverit, peccati neminem alligare: donec nubes erroris, oculo mentis detracta, claram animi lucem admittat; veriora proferentem. Præterea, NIHIL EX OMNI PARTE BEATUM, & exactum, *in humanis* eſse; quis ignorat? & *In fœmina* præſertim (etiam *coronatâ*) quis actui, non ad omnem uſquequaque décoris amuſſim incedenti, gravatè veniam det; inopiámque conſilii condonet? cùm rectè veréque, coactu Numinis (opinor,) à ſceleſtiſſimô licèt, ac cæterà mendaciſſimô, pſeudoprophetâ ſcriptum ſciamus, & agnitum, in ejus Alcoráni quadam Azoára:

Præter

Præter MARIAM, *Jesu Nazareni Matrem, nullam unquam fuisse mulierum, per omnia perfectam & absolutam.* (186) Hujc ergò MARIÆ-JESU, Nazarenæ, libentissimè palmam concesserit Virtutis omnis ac Sapientiæ, MARIA-JACOBI, Scotica: síque sic necesse fuerit confiteri nos, in hoc duntaxat nuptiarum *præcipitiô* titubatum ab ea nonnihil fuisse; sanè titubaverit! Tu, siqua graviùs eam accuses, (ut *Elisabeta* fecit *Anglica*,) talî si locô, conditionéque temporum, fuisses; & sensisses aliter; & in scopulum utique detestabiliorem incurrisses. Sed ad propositum revertamur.

XLVII. *Bothuelius*, se *cepisse* Reginam, & habere, *bonô suô*, ratus est. Sed invicem, eodem ipso tempore, *Bothuelium* simul, ac *reginam*, fraude suâ conscelerratus *Murrayus* irretitos tenuit; & astrinxit, illorum *utriusque malô*. Quod unicum namque tot hucusque molitionibus *homo nequam* quæsierat, ut *Reginam*, non jam *Nobilitati* (quod in *Davide* priùs tentârat, & perfecerat,) sed *omni* quoque Scotorum *populo*, Reginæ partibus adhuc studenti, redderet invisam, & quasi *morte* quoque *dignam*; unde pòst sibi (spurio)

Maria Stuarta.

rio) proximus ad ſolium gradus (ſi, regium quoque puerum extingui, contingeret,) exſtrueretur: Id ille tunc aſsecutus, iîs confectîs publicatîsque *Bothuelianîs* nuptiîs, videbatur.

Cum ſuis ergò, Mortoniôque maximè, totâ paſſim Scotiâ divulgat, & Angliâ; quidquid machinatus ipſe cum ſuis erat. *Ut Rex Darlaus à Bothuelio necaretur, id totum machinatam eſse Reginam. Bothuelium commodâſse Regicidio manus: ſed Reginam imperium, auctoritatem, & conjugii ſponſionem. Bothuelium, cædis, circumſcriptione credulitatéque Judicum, (ut humana ſint,) abſolutum eſse. reginam, ut neuter abſolvi poſset, impudentiâ fecisſe ſuâ: dum ei, quîcum pacta, maritô tum ſuperſtite, nuptias ſit, (& has quidem, pretiô pignoréq; necis maritalis,) nunc, publicâ ſanguinariæ mercedis exſolutione, lectum ſternat; dum latus ei fidémq; ſociet; dum communium, ex ſe, liberûm quærendorum copiam faciat: Utrumq; proinde morte, propter illatam innoxio regi mortem, dignos: nuptias autem illas, innuptas, irritas, exſecrabiles eſse; proptereáq; dirimendas, etiam illius, quam reducturos ſe jurárint, Religionis Decretîs, & Canonibus.* (187) Gla-

Appendix, ad Annum 1614.

Clamantur hæc, & inculcantur; de pulpitis, & per fora. Creduntur, damnantur; vindicanda decernuntur. Populus, nobilitas, miles, arma capiunt; conglobantur; ad signa concurrunt. Tessera circumvolat, vociferantium, *Arma, tela, mucrones, in Bothuelium, & Stuartam!* Murrayus, ac Mortonius, classicum canunt; & belli faces inflammant. In Reginam, Dunkeliæ, (Scotiæ Borealis urbe,) Quæsitores, ac Rhadamanthi, sedent inexorabiles; *Mortonius, Atholius, Tillebonius,* cætera dicasterii *Puritani* synagoga. (188) Clamant omnes, & unâ voce; *Tolle, tolle, de terra, de solio, duo terræ soliíque portenta talia! Non enim fas est, hujusmodi, vel vivere, vel regnare.* (189) Fuerúntque, qui vexillum, aut lábarum, erigerent, cuj picturam afsuërant; in qua *Regis occisi* conspiceretur effigies; cum notis illatæ violentæ manûs; ponéque regis imaginem, imago filioli regii, duodecim tunc mensium natu vix majoris. Et hic tamen (memoratu ridiculum, undénam unius anni puerulo, sensus, & intelligendi vis? unde vocis oratoriæ facultas, infanti, nondum fanti?) visebatur, *à DEO, parricidii vindictam exposcens.* (190)

XLVIII.

Maria Stuarta.

XLVIII. Hoc *rebelles* vexillum, à militibus duobus geminas inter haſtas expaſſum, quaquaverſum, & quoties in *Stuartam* incidiſſent, oculis ejus objiciebant; in oppidis, & in caſtris. Nam, paucos intrà dies, & caſtra caſtris oppoſita ſunt; & ad manus inimicâ mente ventum. Cùm autem *Duncalmô*, quô locô rebellium ſe copiæ conglobârant, *Bortvvícum*, ubi Regina tunc cum *Bothuelio* morabatur, exercitus hoſtium univerſus contenderet, in locum & *arcem*, octo circiter milliaribus Edimburgô diſtantem: hi, priusquam in caſtello comprehenderentur, veſtium mutatione, celeritatéque fugæ, periculum evaſerunt; *Dumbarríq;* munitionem maritimam tenuerunt. Ibi Regina, confluentibus ad ipſam terrâ marîque pluribus, nondum Majeſtatis ejus oblitîs, juſtas, & aciem auſuras, copias, paucîs admodum diebus, contrahit. Has Dumbarrô *Carberillum* ducit; confligere parata. Sed perduellionis duces, antè, quàm prælio concurreretur, Gulielmo *Kircadio* quodam, Grangiano, miſsô feciali; Reginæ, quaſi per *Pacis* ſtudium, mente tamen interim aliam coquente fraudem, *genibus flexîs*, auctores fuerunt;

Appendix, ad Annum 1614.

erunt; utì *Bothuelium*, ceu Regiæ cædis manifeſtum, & *Scotiæ publicum odium*, abs ſe, ſignîsque ſuîs, & thalamô, ſegregaret. Secundùm hæc, ad votum omnia conventura; Simùl autem, idem ipſe Pacis interpres, à Proceribus conjuratis ſedulò priùs ſubornatus (quippe, veritîs, ne Regis interfector, pacis conditione talî furiatus, Darlæanæ Cædis omne conſilium, & auctores, propalaret) reginâ clàm, nec advertente, *Bothuelio* ſuadet ſpontaneam, eámque quàm tectiſſimam, & celerrimam, ex omni Britannia, fugam: ni vitæ, magnorúmque (ſi pareat, ſibi decretorum,) præmiorum jacturam malit.

XLIX. Hîs inducti fraudulentorum promiſsîs, cedunt, *Bothuelius* Scotiâ, *Stuarta* campô, copiîsque; quas ſub ſignis habuerat. Et ille quidem mari ventíſque ſe tradit; archipiraticam exin' per maria Septentrionis exercens: donec, decenniô ferè pòſt, in Dania captivitas illum, & anni, conſumpſerunt. (191) Regina verò, pacta ſui militis dimiſſionem incolumem, cum *Kircadio*; nullâ, nec morâ, nec trepidatione, contendit in hoſtium caſtra. Quo locô, ſe totam Procerum, (aliam jam frontem in armis induentium,)

tium,) arbitrio jussísq; permittere compellitur. Ab his inermis ipsa, sed armatorum denso sonorôque cincta comitatu; primùm *Edimburgum*, nihil à captiva, cultu quoq;, vestibúsque distans, (quippe, tuniculâ cooperta vilî, nec multùm infrà genua descendente,) deducitur. Illuc, pronô jam in noctem die, præ virium inopia vix hærens equo, vultu lacrymîs & pulvere viæ conspersô, venit; *fatigata*, non magìs equi succussione, quàm militaribus in agmine petulantissimorum lurconum acclamationibus; *Reginam suam* (sit verbis venia!) *scortum*, & *mariticidam*, *rogô flammîsq; dignam*, vociferantium. Hæc illa tunc sustinebat, indignissima suîs meritîs, opprobria. Pròh, quantùm diversîs ab ea pompâ spectaculîs, quibus, Reginarum formosissima, Parisiîs ad sponsum olim Valesium, regni Designatum hæredem, deducta fuit; & Galliam admiratione suî concussit! Unde rerum videas humanarum mirificam Inconstantiam: & odisse fugeréque nôris.

Ut primùm autem, has inter indignitates, (nec tamen nullîs populi commiserantis gemitibus, ac lacrymîs, intermixtas,) non in arcem

arcem denique, ſed ædes alienas, infrà regiam, pervénit; illic, eâ diverſorii parte, quæ ſubjectam urbis aream, civiúmque collectam illic multitudinem reſpiciebat, paullùm ſe colligit. Indè verò fortuitò (ſicuti ſudantes ſolent) animæ laxandæ, captandǽque liberioris auræ cauſsâ, diduxit feneſtras; ac reſpirans, uti proſpectu nonnullo cœpit, & à mœrore ſeſe reficere: cùm, ecce, continuò novi mœroris irritamentum, illud, de quo dixi, *vexillum* adeſt. In eo picti, *Darlaus* maritus, occiſus; ac, vindictæ rogator, *infans filius*, utì memoravimus; à geminis illis tenebrionibus, per ſubluſtre crepuſculum, *Reginæ* proſpectanti deſuper, ſicut in via priùs, & caſtrîs, objiciuntur; concuſsîſque, de quib. pendebant, haſtîs, ei, velut per exprobrationem cædis, obtruduntur. Lacrymîs igitur infuſa denuò, támque fœdam à profugo *Bothuelio* ſibi relictam, ex thori ſocietate, ſuſpicionem plangens; reductîs feneſtrîs, in intima ſe penetralia conjecit. (192) Hîc illa noctem eam, densîs vigilum excubiîs circumſepta, *carceréque* veriùs clauſa, quàm in *libera cuſtodia*, mœrens exegit. Die verò poſterò, *Lævini* lacûs in caſtrum quoddam

permunitum, equô deportata; perpetuum (ſicut autumabant) in *Tullianum* (193) conditur: & clauſa ſedet.

L. Erat interim *Puritanorum* quorundam Procerum id conſilium, ac ſententia ferox: ut *Maria* captiva, dormiens, aut laqueô ſuffocaretur, aut manibus; quò, talis poſtea reperta, ſcelerum adigente conſcientiâ ſpontè ſumpſiſſe mortem, vulgò cenſeretur. Nec deerant, è proximis quoque neceſſitudinibus, qui perniciem ejus, quoquo tandem modo maturatam, verbis litterîſque cuperent, ac juberent. In his, ſceleſtus ille *Murrayus*; qui, priuſquam *Regina* comprehenderetur, ne contuliſſe quidquam operæ videri *præſens* poſſet ad ſororis ærumnas, in Galliam ſuſceptô celeriter itinere; per ſummam, & Puritanis ſuetam, ſimulationem, *fortunas ſe ſuas univerſas, & familiam, in manibus ac fide Reginæ ſororis relinquere*, dixerat. Is, poſteaquam in Gallia dein audivit; omnia ſua, ſuper eâ capiendâ, conſilia proſperrimè ſucceſſiſſe: Gallicanâ quidem in Regia, corámque Gviſianis fratribus, avunculis *Stuartæ*, dolorem animi præ ſe tulit ingentem. At, per clandeſtinas interim epiſtolas,

ſtolas, amicos in Scotia, conſiliisque ſuis innexos cæteros, ad feſtinandam *Reginæ mortem*, impellere non deſinebat. Illâ ſuperſtite, ſe, negabat, in Scotiam eſse reverſurum.

Pluribus autem, è contrario, barbarum id nimis, & ab omni remotum humanitate facinus, fore viſum; æternam genti *Scoticæ* maculam alliturum judicabatur. Et alleviſſet certè; ſicut omnibus hodie *Regnis*, quæ *ſumma capita ſua* publicô conſiliô ſuſtulerunt. Quocirca, non diſsentiebat ab iſto tunc mitiore judicio, cæteroqui *Stuartæ* rebus dudum haud amiciſſima, (velut poſterior oſtendet labor) Anglorum Regina, ſagax *Eliſabeta*: dum, *In eam legibus prius agendum*; *&*, *ſi Jure cauſsâq; caderet, in ordinem, ademptô ſceptrô, redigendam eſse ream*, Scotis auctor fuit. Nec abs re ſuâ: cùm alioqui, ſi *Reginam-adhuc*, *reginæ ſubjecti Scoti*, *vitâ prius*, *quàm gubernaculis*, *extruderent*, *poſse ſuûmmet quoque tandem*, *ſuîque ſimilium*, *in præjudicium & cladem recidere*, ſapienter hæc fœmina prævideret.

Hæc ergò tunc ad Proceres, in *Stuartam* collectos, *Eliſabeta* diſserebat: non præter-

Maria Stuarta.

mittens interim, per speciem benevoli suam in cognatam candoris, missis ad eam, latore *Trogmortonô*, litteris, solari captivam: &, *si vis ultima cogeret, aut amittere solium, aut cum eo pariter & spiritum; ut, è dispendiis geminis, illud simplex potiùs & levius, quàm duplicatum istud, & intolerabilius, eligeret*, suadere. *Si durum, & istud ipsi videretur, & illud non molle: meminisset, & Contra torrentem nemini conandum; &, præter hoc, Per vim extorta, vim Juris non habere. posse, per iniquitatem temporum adempta, temporis amicioris æquitate restitui.*

LI. Talibus his, à qualicunque profectis mente, consiliis *Elisabetæ*, non se præbet intractabilem, *Maria*: cùm præsertim, eodem & *Optimatium* Scoticorum potiores intendere, conspiraréque sententiis, experiretur; indeflexâ rebellium pervicaciâ. quorum ferocior, unus præcipuè, *Patricius Lindesius*, ni totam se Prócerum dederet arbitrio, *mortis* ei necessitatem indicebat. Poscebant autem, ut Scotorum, in perpetua tempora, deposito supremo dominatu, *regni jus*, & aditum, transferret in *filium*, adhuc pænè vagientem: *regni* verò *procurationem*, quoad

quoad is adolesceret, in eum, quem *Ordines* essent jussuri, *Proregem*: puero regi, *Tutores*, quos ex utilitate publicâ futuros censeret, ipsa nominaret. Horum omnium fidem annulô suô subscriptionéque faceret. In reliquum, recessu suo, præsentísque fortunæ vultu, contenta; locô castellôque *Lævini* lacûs, in quo tunc esset, ne se commoveret. Hæc ei, verbîs, & auctoritate, Sterlini congregatorum Procerum, tabulîs consignata, *Lindesius* offerebat: &, haberi rata, subsignatione MARIÆ STUARTÆ, prætermissô REGINÆ titulô, mandabat.

Haud scio, credámne, quos *Buchananus* narrat, à *Stuarta* nominatos esse regiæ pueritiæ rectores; etsi (quod is addit) *gravatè tandem* designatos. Sed quis, de tot, & tam acribus, *Puritanis*, à *Regina tam piâ* delectîs, scriptori *Puritano* fidem habeat? putà, regulo præesse jussos fuisse, Jacobum, Murrayæ; Gillespícum, Argatheliæ; Jacobum Mortonii, Matthæum Leviniæ, Comites; cum Jacobo, Castellerotii Duce: Comitibus item; Alexandrô Glencarniæ, Joanne Marriæ, Joanne demum Atholiæ, nuper in *Stuartam* Dunkeliæ sedente. (194) Tutiùs insistemus

Maria Stuarta.

narrationi Florimundi Remondi; magìs simplici, minúsque verbosæ. cujus hæc est, in summam collata, series.

LII. Finitìs, quæ *Lindesius* magnâ cum severitate verborum attulerat, postulatìs, ac veriùs, Decretìs; *Regina*, contestata palàm, *Quidquid hujus impræsentiarum factura foret*, Invitam *se*, Coactámque *facturam esse*: tabulis, super *abdicatione regni* confectis, nondum tamen ab ipsâ perlectis, subscribit. Cum his *Lindesius* tabulis, è lacu Lævino profectus *Sterlinum*; rem, *infectam* reipsa, pro *summè confectâ* venditans, omne *Murrayanæ conjurationis* collegium illuc celeriter evocabat. Revenerat autem, per eosdem dies illos, è Gallia, *Murrayus* etiam ipse; secum, & tacitè, sinè dubio fremens, *Nondum ex voto suo, Mariæ morte, vacuam sibi factam solii viam, ac possessionem*. Hujc demitigando (nam *accensæ mentis* erumpere subinde scintillæ deprehendebantur) ii, qui *factionis* erant Murrayanæ, *Comitia*, Regi declarando, *Quod felix ac faustum foret*! in diem Julii vigesimum nonum indicunt. Iìs *Regem* dicunt, JACOBUM; non, *qui fieri voluisset*, Murrayæ Comitem; sed, qui, *se fieri*, *non*-

nondum scire per ætatem *poterat*, Stuartæ filium: inter JACOBOS Scotiæ reges, SEXTUM mox dictum. *Regis* verò *vices* obiturum, supremâ cum potestate, *Murrayum* nominant; ut is, (ne desiderii sui diuturni, nullam penitùs lineam teneret,) *lateri* saltem *regio*, partíque nominis, hæreret; PROREX salutatus. Hæc, annô sæculi superioris sexagesimô septimô, Sterlini gerebantur, à *Stuartæ Mariæ* conjuratis hostibus, *Stuarti nothi* fœderatis, ac satellitibus (ut ità dicam) *Spurianis*, à quorum partibus stabant, & *Cœnobiorum* Scotiæ quorundam, malè firmorum, *semipræsules* potiùs, (quippe, pars Sectariis obnoxii; pars, *Murrayo* cognatione devincti,) quàm Antistites, & *Abbates*: ac, *magicarum* suspectus artium, *Adamus* quondam, *Orcadicarum*, ad Aquilonis plagam, insularum *episcopus*; (195) Darlæi non pridem hospes, ac diversitor extemporalis, in inhospito cæteroqui sive loco, sive temporis intercursu. (196)

LIII. Sed inter hæc, *Regina*, si tabulis staretur, & manui subscribenti, per vim inductæ, jam *non-Regina*; quid ageret, in loco deformi, statúque rerum multò defor-

Maria Stuarta.

miore? Quantulùm aberat ab ærumnis illius, cujus vox, inter judices constitutæ scelestissimos, erat hæc: *Angustiæ mihi sunt undique?* (197) Quid non arctum illic, & angustum, *Stuartæ*; nequaquam *Babylone*, nec in umbroso pomario, sed *in tenebris, & umbrâ mortis sedenti?* (198) neque procul à carceris illius simulacro, quem *Maris-Profundum* Cycizéni nominabant (199): minùs autem procùl, illâ muliere, qualem, libidine perditam, & partim veneficiîs infamem, Babylone, plusquam unam fuisse, non typus duntaxat *Apocalypticus* (200) arguit; sed *Quinti Curtii* quoque, de Gestis Alexandri, quintus liber.

Est ad caput & principium amnis *Levinii*, qui sinum & æstuarium *Forthæum* influit, *lacus*, ejusdem nominis; sub radicibus montium, quibus à meridiano cœli tractu *Fifa*, (Scotiæ regio, mari prætenta,) clauditur, & inumbratur. Est in eodem *lacu*, quà profunditate suî munitior est, arx antiquitus: *custodiæ* potiùs, (ut apparet) & *carceris reorum insigniorum* caussâ; quàm, amœnitatis, ac deliciarum in usum, surgens. Eam *Clajniana* tunc familia, nobilis inprimis, & nomina-

minata, tenebat; dominô, patréque familiâs domûs illo, qui *Murrayo* frater ex *Askinia* fuit, uterinus duntaxat. cæterùm, patrem habuerat hic, *Clajnium*: Murrayus verò (ſicut *Askinia* gloriabatur,) Regem *Jacobum V.*: ſicut vulgus autem, & fama; quendam, neſcio quem, *Porterfeldium* (201). quorum ego ſuperiùs quoque mentionem delibavi. *Matrem* autem utriuſque fuiſſe, conſtabat, illam, quam alibi perſtrinximus, lupam, adulteram, veneficam, *Askiniam*, Ea tunc, cùm attineretur in arce Lævinia *Stuarta*, præſens, & calamitate ſubjectæ jam ſibi Reginæ (quis neget?) hilaris erat. inſultánsq; tot ejus incommodis, haud utique parcebat, mulier impudens, vagô ſaltem inter domeſticos, ſed *Stuartæ* per obliquum intelligendô, murmure ſpargere; *Sibi, non minùs legitimæ Comitis Murrayani matri, quàm Maria Stuarta fuerit ex Henrico Darlao parens pueri, nuper coronati; ſibi, temporum ac judicum quorundam injuriâ, nondum huçuſque datum: uti filium videret, poſt tot in Scotiam præclarè collata commoda, diademate fulgentem illô; quo paucos tamen nunc ante dies revinctum fulſerit infantis, incapax coronæ, caput.*

Maria Stuarta.

Acerbiùs igitur, citra dubium, etiam isto livoris incitata stimulô, Reginam *genuinam* regina *mentita*, factitiáque, Reginarum duarum (202) pellex, Canidiarum Scoticarum præsultrix, tractabat. Ad quam, in captivam, agendi duritiam, accesserat, eodem ipso captivitatis tempore suborta, nuntiatáque, caussa nova.

LIV. *Joannes* quippe, gentis *Hamiltoniorum* nobilissimæ, *Sant-Andreanus* Episcopus, & Scotiæ *Primas*, (is, quem postea Matthæus, Leviniæ Comes, in transversum, ac Proregiæ potestatis abusum, actus, interfecit; ut alibi præmonuimus:) Is, inquam, non, ut *Jacobi pueri* regiam inaugurationem redderet irritam, sed, quòd *Stuartæ matris* exauctorationem, multóque magis *captivitatem*, improbaret, ac detestaretur; *Comitiis* seorsum indictis aliîs, eorum, qui Reginæ studebant, & æquiori caussæ, *concilium* habebat, super MARIÆ liberatione, pristinæq; potentiæ restitutione. Cum eo, pro MARIA, sentiebant, Gillespicus, *Argathelia*, paullatim placabilior, & Georgius Gordonius, *Huntilæa*, Comites; & *Harrisius* ille *Baro*, de quo dictum superiùs est, ac dicetur in subsequenti-

quentibus. Hi, pro *Stuarta*, cum cæteris quibusdam, adhuc ei fidis, laborantes; de manu sensim, in vindicias illius comparandâ, circumspiciebant. Nec ad id expediendum nulli coibant; ignarâ tum vel maximè *Reginâ*. Sed aliquantò lentiùs procedebat armorum expeditio: delatáque rei fama *Levinum* in *lacum*, & ad *Murrayanam* in eo familiam; caussam & calamitatem insontis *Reginæ*, tanquam turbarum illarum *auctoris*, & *materiæ*, quotidie graviùs, & intolerabiliùs, onerabant. Carceris custodum imperatrix, *Askinia*, quantumvis favisse captivæ postmodum diffugio fingatur à Buchanano; tunc utique non desinebat, ei sudes in oculis esse; non, unguis in ulcere; non, flagrum in dorso, vel solâ quoque suæ potestatis in eam imperiosâ præsentiâ. Dominicum ad vultum, ministrorum quoque frons, mens, manus, componebantur. *Excubiæ* carceris, diurnæ nocturnæq;, densæ; nusquam, & nunquam, intermissæ: sollertiâ, vigilantium in quosvis casus oculorum, milviis acriores. Pro fortuna, victûs erat mensura. de cætero, nullum *liberæ sortis* indicium. non libri, non charta, non sepia, non calami; neque lumen

Maria Stuarta.

lumen adeô, vel lychnus: pérque rerum talium inopiam, universâ præcisa mulieri miseræ, cum aliis, quavis viâ communicandi, copia. nulla denique, suppetias ullas implorandi, facultas; præterquam, *oculorum* ad cœlum, etiam in *tenebris* levandorum, potestas.

LV. Summus Mundi *rector*, & idem afflictarum mentium, sibi fidarum, *erector*; qui *Susannam* olim incitavit, *ut flens suspiceret ad cœlum*, (203) &, ab omnibus destituta, voce clarâ præsidia rebus suis ex alto devocaret (304); unde quoque *Puerum*, divinitus excitatum, accepit *auxiliarem* (Danielem Juniorem:) (305) is, inquam, ipse, Ter Opt. Max. creberrimîs à *Regina Stuartâ* (quod nemo prudens piúsque dubitârit) lacrymîs ac suspiriîs invocatus; ejus liberandæ consilium obtulit, & mentem injecit, *adolescentulo*, (dignissimo, cujus & *factum* mittatur, & *nomen*, posterorum in memoriam,) *Wilhelmo*: qui tunc in ministerio versabatur *Præfecti* lacûs, & castelli, Læviniani.

Dies inciderat; quem epulîs atque gaudiô castellani, nescio, quam ob caussam, festum agitabant. Ibi, dum in patinis, poculorúmque certamine, sunt; ac *præfecti* potissi-

tiſſimùm ſobrietas, à largiùs adbibentibus, ad mentis uſque ſenſuúmque ſopitionem, labefactatur: *Wilhelmus* arcis *claves*, advertente nemine, ſuffuratus; ad *Reginam*, in remotiore caſtri parte degentem, per ſummam diſſimulationem abit. Vitatô verò ſimul omnî, quoad ejus fieri poterat, ſtrepitu; cùm momentô temporis cuſtodiæ fores reſerâſſet, introſpicit: ac *ſolam* (abſente tunc negotii cauſsâ pediſequâ) reperiens; *Domina*, ſubmurmurat; *quid ceſſamus? cur non fugimus? Aula, quid agat, ignorat. In vino ſunt omnes; & apud ſe nemo, præ vecordia. Fores unæ patent. ut nobis & cateræ pateant; hæ claves, ecce! dabunt. Sed effugium, niſi medium per cœnaculum, nuſquam ullum. id, etſi per ebrios, & crapulá cæcutientes, ut tutius tamen ex omni parte ſit; transformatô cultu péropus fuerit. reliqua DEUS, & bonus genius, expedient. Surge; diffinge te! ſequere!*

Quibus, in hunc modum, ſuggeſtîs, tacuit *puer*. Invicem *Regina*, ſilentiô non minore; cùm eſſe ſciret, *virilem* in proximo, cuſtodis, neſcio cujus, an ſatellitis? amictum; eô *fœmineum* ſuum mutat habitum: ſecutáque puerum, tanquam è cœlo ducem; per mediam

mediam inprimis cœnationem (nec enim alius, arcis eâ parte, tranſitus offerebatur) omnibus inobſervata vadit. Per *quatuor* indè *portas majores*, ac totidem excubitorum globos, præeunte ſemper & aperiente *Wilhelmô*, penetrat; indeprehensô pariter, & inoffenſo, progreſſu: donec ad ſtationem demum extremam eſt ventum. Illic, ingens poſt eos in arce tumultus ſuboriri cœptus; & in metum nonnullum profugos, & in ardentius féſtinandi ſtudium, adduxit.

Tumultum autem excitàrat iſta, quam ſubdo, cauſſa. Dum per ſtationes portarum *Wilhelmus*, & *Stuarta*, gradiuntur; quendam è ſatellitibus, aliquantò curioſiorem cæterîs, non omnino fefellerat, nec agnitio *pueri*, nec verus, ſub habitu fictο, *Reginæ* vultus. Subdubitabat tamen: útque diutiùs in perplexo non hæreret, perſequi *puerum* inſtituit, è quo rei certitudinem eliceret. Sed ille, cum comite ſuâ, jam evaſerat. ac neque via, vel modus, eos aſsequendi, ſupererat. Prudentior enim futurorum *Wilhelmus*, quàm *præſentium* obſervans ſatelles; utì portarum unamquamque reſerârat, emiſsâ reginâ, poſt ſe confeſtim reductam

cam,

Appendix, ad Annum 1614.

eam, claudebat accuratè: clavésque, quæ plures unicîs non erant, nequis perſequi dilapſos poſset, *ſecum* auferebat. Ità, *quaternîs* occlusîs validîs robuſtísque foribus; nullus miniſtris excubiísq; relictus exitus erat. Ea convivantibus nuntiantur. Hinc, à paullòminùs temulentîs, ad cuſtodiæ penetralia feſtinatur. non *foris* uſquam *puer*; nuſquam *intus* Regina, vel alia mulier ulla. Turbatur ergò totîs paſſim ædibus. fremunt excubiæ: conclamántq;, *Fugiſse Reginam*. concurſatur prorſum, ſurſum, deorſum. validiſſimi quique, moliuntur portarum *primam*; at nullo profectu. donec, è ſuperioribus arcis feneſtrîs, audiri cœptus eſt deterrentium clamor: *Quid irritô labore fatigamur? Evolárunt*! Ad quam vocem, eaſdem ad feneſtras, omnis turba ruens, *tres* vident, qui *duos* duntaxat amiſiſse ſe crediderant, jamjam naviculam tenentes; & *lacûs* ulteriorem oram petentes. Erant hi; *Regina* Stuarta; *Wilhelmus* puer; & *Joanna Quenéda* quædam, è Reginæ pediſequîs.

Iſta quippe, negotiô, cujus cauſsâ tunc abſfuerat, expeditô, reginæ cuſtodiam repetens; poſtquam nuſquam *dominam* reperit;

Maria Stuarta.

perit; rata, quod res erat, accidiſse, ſtudiô charitatéque dominæ, ne fugam illius incomitatam relinqueret, eodem temporis veſtigiô de feneſtra carceris ſe demiſerat (audax deſultrix!) in ſubjectum ſolum. Indéque conſurgens incolumis, & curſu contentô *Reginam* aſsecuta; cum ea, pueróque, lembum eundem intrârat. (206)

His ità geſtîs, erroribúsq; caſtellanorum nullâ jam curâ cuſtodum emendabilibus; eos, qui fugientium per undas celeritatem ex arcis edito loco ſpectabant, malè quidem abitus & evaſio Reginæ; longè verò pejùs, *Wilhelmi*, ſupra *pueri* captum, calliditas habebat: utpote, *cujus furtô fraudéque factum eſset, ut, captivi qui fuerant, libertate gauderent; &, qui liberi priùs, nunc captivitate tantâ premerentur: ut Arx illis univerſa, Carcer factus unus, inopiâ clavium, exitus omnes interclusos teneret: niſi, ſicuj fortè cum Queneda ſaltus ex arduo placuiſset.*

LVI. Foris autem alia, diverſáq;, fiebant omnia. Nam, ad oram *lacûs* ulteriorem, in eum ipſum rerum eventum intentus, ab aliquot retrò diebus, Juvenis quidam, manu promptus, *Georgius Duglaſſius*; non ille,

ille, cujus in cæde *Davidis Riccii* meminimus, Angusiani Comitis filius spurius; sed Jacobi, Murrayæ Comitis, spurii frater, ex *Askinia*, Clajniôq; legitimus, & fratrum omnium (quorum omnino quatuor Askinia pepererat) natu minimus, curabat. Hunc, ut Reginæ captivæ studiosiorem cæteris, & cupiditatis, ejus liberandæ, suspicione quadam aspersum, *Murrayi Proregis* imperiô, cæteri fratres, & mater inprimis, (opinor,) ex Insula *Lavini* lacûs emoverant. Ille tum enimverò, ne gratìs suspectus esset, ab eo tempore seriò solertiúsque, quàm unquam antehac statuisset, favere cœpit, & insistere cogitationi; Reginam (siquis, etiam ipsam, in sicco constitueret,) ad regiarum partium duces, & copias, abducendi. Quod, quò certiùs, expeditiúsque, fieret: à lacu, per aliquot dies illos noctésque, non procul recessit. sed, ne penitùs interim otio sese dederet; in pago, lacûs ripæ proximo, residens, *equitum* tantisper armatorum catervam colligebat; in quamvis fortunam, & occasionem rei bene gerendæ, paratam, & intentam. (207) Is, cum hac *equestri*, quam dixi, manu, sub easdem tunc pomeridianas horas illas, qui-

bus *Regina* fugam inierat, in ſpecula ſtans, & inſidiîs, opperiebatur; *Siquis ex arce nuntius, aut quivis è caſtellanis ſe miniſteriîs, oſtenderet, aut offerret*: cùm repentè *tres* videt ripæ lacûs appulſos, & exſcendentes. ad quos, cum ſuis, ocyùs, ac citatîs equîs, advolans; citò mutatæ veſtis intellectâ fraude, *Reginam* agnitam excipit: & impoſitam equo, procul ab inſulæ lacûsq; marginibus, in diverſas Nobilitatis, adhuc ei ſtudentis, arces ac domicilia circumducit. Ad extremum, magnô jam, & *regiô* prorſus inſtructam *comitatu*, *Reginam* hortantur omnes, ut belli fortunam certamine commiſsô tentet. Cum ea deinde, conſiliis eorum acquieſcente, *Maji* die *tertiô*, (qui *Sacræ Crucis Inventæ* memoriæ dicatus eſt,) ad caſtellum veniunt *Hamiltonium*: quod aberat urbe *Glaſcuâ* paſsuum octo millium intervallô. (208) Viribus ibi, numeróque, ſe confirmant: caſtra, locô ſibi commodô, metati; præliíque, primô quoque tempore faciendi, cupiditate prurientes.

LVII. Sed non ſibi, ſuæque cauſsæ, defuit, inter hæc, *gratiſſimus* ſcilicet *ſororiis* erga ſe beneficiis, *Murrayus ſpurius*; eô tem-

tempore (ſicut memoravi) ſupremus in Scotia rerum omnium arbiter; quia *Pro Rege*. Simulac enim, elapſam captivam cuſtodiâ *Laviniani lacûs*, accepit: non dubitavit, cum *armata* poſthac rem fore ſibi; quippe, qui pridē ei, de liberatione ſuî pæne ſuppliciter agenti ſecum, amarîs ac virulentîs reſponsîs multîs inſultâſset; (209) denuntiare miſeræ non erubeſcens; *In ejus everſione ſe diligentiæ nihil prætermiſſurum*. Is igitur, inquam, talis, ac *beneficiis* Sororis *unicè gratus*, Murrayus; quantâ potuit, celeritate collectam ſuarum partium multitudinem, in eam educit. Certaminis locus ab eo deligitur, campus, & colles ad *Lansîdum* vicum; *Carthæ* fluminis ripæ, radicibúsque collium Occiduorum, interjectum. (210) Ducum autem utrimque præcipui ſtabant: A *Reginæ* quidem partibus, quidquid *Hamiltoniorum* ferre per ætatem, ac vires, arma poterat. Tum Gilleſpícus Cambellus, *Argathelia Comes*, penès quem rei bellicæ ſumma tunc erat; ab *uxore* (velut opinor) ad id inductus, Reginæ veterî cultrice. Rothuſiæ quoque, Levinſtoni, Setonii, Comites & dynaſtæ; cum Flaminiis, & Bruſsiis, & Harriſiis, (211) aliîsque nonnullis.

Maria Stuarta.

lis. Ad hos accesſuri, Comes etiam *Huntilæus*, & *Ogilbæus*, (212) ſuîs cum copiis; ab hoſtium præventi cohortibus, excludebantur.

A *Murrayo* contrà, *ſpurio*, contra *Reginam* ſtabant, cum ſuis quiſque clientibus; in acie *dextra*, Jacobus Duglaſſius, Mortonii Comes; omnium Murrayi conſiliorum facinorúmq; conſcius, & particeps. Cum eo, Dugláſſiorum omnis familia cætera. Patricius item Ruvenus; Patricius Lindeſius, cum Ruvenianis Lindeſianiſq; clientelis. Robertus præterea Sémplius, & Alexander Humius. In acie *læva*, Joannes Marrianus, Alexander Glencarnianus, Gulielmus Taichianus, Comites. Ogiltriani quoque, Glameſiani, Kircadiani, cum civibus Glaſcuanis.

Ducibus porrò Stuartæis placuerat, *Reginam* certamini non intereſse: ſed, locô nonnihil editiore, duobus paſsuum millibus indè diſtante, (213) prœlii ſpectare contentionem; & fortunam exitúmque, qualiscunque caſurus eſset, opperiri.

LVIII. Dies erat Maji menſis, decimus tertius; & idem ab eo die, quo ſeſe Regina libertati reddiderat, *undecimus*: Annus autem Chriſti, milleſimus, quingenteſimus,

mus, sexagesimus octavus: (214) cùm, ab utraque parte tempestivè datô pugnæ signô, magnîs animîs concurritur. Exonerantur, & tonant, ingentî tormenta-displodentium ardore, machinæ, catapultæ, sclopeta. conclamatur; & in cœlum vox, fumíque turbo, scandit. *Tormentarii* Stuartæi citò locum deserunt. Invicem, equitatus *Murrayanus*, ab equite *Stuartæo* pellitur. His iisdem, & exercitui reginæ cætero, (qui plusquam *sex millium & quingentorum* erat) perincommodè cecidit: quòd, quisquis ille fuit, qui *Stuartæis* in partibus aciei primæ ductor erat, repentè, sub ipsum conflictûs principium, animô linqui, viribúsq; destitui, cœpit: morbô regiô, sive *verô* correptus, sive *simulatô* luctari vulgò visus. Cèrtè, *Reginæ* copiis, (utut se rei veritas habuerit) injectum fuisse terroris irritamentum, & fugæ transfugiíque stimulum, apparebat. Turbata *pedestris* acies est. ac pugnatum tamen: à *Murrayanis* feliciùs; à *Stuartæis*, pertinaciùs & iracundiùs. Cùm enim, infestîs & hinc & illinc hastîs, phalange factâ, vallum alteris alteri ferratum objicerent; ídque plus minùs horæ dimidiô sic stetisset immotum, ut neutrò Mars victor

inclinaret: perrupêre demum *Murrayani*; reſpiciente fortunâ, pro mobilitate ſibi congenitâ, cauſsam iniquiorem: digniorem autem trophæîs, indigniùs tractante. Non abſtitêre tamen, ne tunc quidem, aut *victores*, calore certaminis; aut, aviditate vindictæ, *victi*. Conſumptîs enim armîs legitimîs; ad fragmenta ſe converterunt haſtarum, & enſium. pars maxima quoque, pugionibus, machærîsque ſubalaribus; alii lapidum, è via maceriiſque, jactu; multi palorum, è ſepibus, (nam & ad *hortos paganos* dimicabatur) in hoſtium ora conjectu, prœlii partes implebant. donec, fatigatione fugâque ſuperſtitum è *Stuartais* copiolis, pugna finem accepit; & *Murrayus ſpurius*, voti ſui ſummam: putà, SORORIS CONSUMMATISSIMAM, quam novem ante menſes in arce *Lævini* lacûs interminatus ei fuerat, EVERSIONEM. Tantò nihiloſecius ardore pugnatum à *Stuartais* eſt: ut ex *Hamiltonia* ſolâ familiâ, præter *viginti ſeptem* illos, qui capi, quàm fugere, maluerunt, in acie *quinquaginta ſeptem* occubuerint: Spurii Murrayi, (ſi manu ſuperiorès diſceſſiſsent,) certa quondam, & maturior, pernicies futuri.

Appendix, ad Annum 1614.

ri. qui ne sic tamen, ab *Hamiltonia* demum *dextrâ* propinandam ejus ventri, mortem effúgit: ut in loco memorabimus.

LIX. Cæterùm, hujus pugnæ sinistrô, non solùm nuntiatô, sed etiam eminus spectatô mœstis oculîs, eventu: *Regina*, juvantibus, quæ dè prœliô salvæ redierant, equitatûs reliquiîs, in *equum* & ipsa recipitur. Eô concitatô, *meridianam* terræ plagam, satìs adhuc honestò stipata comitum numerô, petit. In illa, tunc *fugâ*, spatium ei datum est, & argumentum, siquando priùs unquam, cogitandi; *Quàm essent lubricô sita locô mortalium universa*: sícque tacitè meditandi. *Bis jam captam*, Edimburgi *priùs*; *iterum*, Lævini *lacûs in castro*; *post exactum in hoc, unô mense minùs, ac diebus duodecim*, annum unum, (215) *libertati demum, potentiæq; nuper redditam*: *nunc utriusque, dierum non ampliùs* undecim, *usu gustúq; tenuî perceptô, rursus utrôq; dejici: nec id rei duntaxat in præsens, sed fortassis & spei cujusvis, in futura tempora, subversione. Quámnam enim allucere cuiquam, vel per nebulam, posse conjecturam, illius diei*; quô Scotia sibi restitueretur; ipsa, Scotiæ? *Quo proinde meliorum*

Maria Stuarta.

exſpectationis exſcidiô, tam exploratô, quid ſibi nunc ſupereſse conſultius; quàm, in poſterum imitari ſtudioſiùs, ac propinquiùs, eum ſolum & unum, qui negavit, ſuum ex hoc Mundo Regnum eſse? (216) *Quid ad ſolatium, tam ſuî, quàm piorum quorumvis fluctuantium, potentius, illô Pauli, melle tinctô, ſpiculô cordium? quo vetat, nos, Chriſti militiam profeſsos,* moveri *turbinum, nos exagitantium, incurſu: quippe, qui* ſciamus *jam antiquitus,* In hoc, & ad hoc ipſum, nos eſse poſitos, *ac* deſtinatos; ut patiamur, *& ſufferamus:* ne fiat inanis, *aut* aliorum, *iſta nos docentium, aut* noſter, *hac diſcentium,* labor. (217)

Inter hæc, aliáq; meditamenta talia, calentibus utiq; miſta lacrymîs; ventum, contentô fugientium curſu, ſenſim eſt, ad Scotiæ limitem Auſtrínum, Angliæ regnô contiguum. Ibi, reſpirante paullulùm, & hominum æſtuantium, & jumentorum anhelantium, laſſitudine; conſiderare *Stuarta* mœſta cœpit, & ad ſuorum conſilium referre; *Pergendúmne cenſerent, & in Angliam intimam intrandum?* An verò, deflexô propiùs Oceanum itinere, ventis aquíſque reliquum fugæ committendum; undecunq; proximus in

in transmarina *Catholicorum* littora fieret exſcenſus? *Angliam declinaturis, patére Belgium*; *qua parte regio ſub Hiſpano*, Religio *ſub placitis Antiquitatis, eſſet. Apertam ſtare Galliam; ubi Reges affines; Lotharingiam, ubi Duces avunculi; Bullioniæ pietatis poſteritas; Gviſianæ fortitudinis auxilia; clemens hoſpitibus, Auſtraſia.*

Placebat, ex his, aliud alii regnum, ac ſolum, ceu non inhoſpitum; aut, ob vires, in ſuppetias promptum: utì cujuſque ſenſus, aut ingenium erat, ex iis, quæ vidiſset, audiſset, è libris explorâſset. In ſingulis, cauſsas, utì reperiebat, cur adiret; ità potentiores *Regina* monſtrabat, cur refugeret. In *Eliſabeta* ſolâ (*mirandum, ac dolendum!*) & in illius *Anglia*, rebus, ac fortunis ſuis aſylum, ſibi ſtatuebat: quale *boves Herculis*, in Caci ſpelunca, reperiſsent; hoſpitis ſui victus, & victima, futuri: niſi periculi ſui vaticiniô, mugitibus editô, ſuî ſervatorem Herculem exciviſsent. (218) *Eſſe*, (dicebat) *Eliſabetam, locô vicinam; genere, cognatam; titulô, ſororem; caritate, concordem; adamantum gemmarum reciprocô fœdere, colligatam.* (219) *Etiam tum, eſse penès ſe, Reginæ conſanguineæ,*

K 5 *candi-*

Maria Stuarta.

candidiorem omnî gemmâ, manum; omnî firmiorem adamante, promissorum fidem; crebras, ad se clausam, datas epistolas, venire jubentes; & suúmmet, ad usque regni communes limites, occursum, indéque regiam, in magnifica Londini palatia, deductionem spondentes. Ibi, suis rebus opem, ibi criminum dilutionem, suspicionúmq; spongiam, fore. Quòd si verò fortunæ demum invidiâ, cætera fallerent omnia: facilem tamen, & expeditum, è portu Britannico, transitum ad Belgas, ad Gallos, ad Austrasios, se reperturam. Hæc tunc, in concilio, *Regina.*

LX. Dissentiebat è diverso, pugnabátq; contentione verborum & animi, quantâ quis maximâ; qui Reginam, ut ad castra priùs, sic, à novissima, postea fortunâ, constanter eousque fuerat assectatus, & tunc, inter præcipuos sententiam rogatus, eam libertate magnâ dicebat: *Joannes*, inquam, *Hamiltonius, Sant-Andreanus Archiepiscopus.*

Hunc dein, (ut suprà præmonui,) *Matthæus Stuartus*, Leviniæ Comes, posteaquam ad Proregium munus, Elisabetæ reginæ commendatione, promotus est; insontem palàm necandum carnifici dedit; *Darlai*, filii sui, strangulati *Manes*, (utì præ se ferebat) ac Nemesin læsam, placaturus. Is

Appendix, ad Annum 1614.

Is igitur, quem dixi, præſul, ad ſupremum uſque vitæ decurſum conſtanter orthodoxus, nec, ut Orcadum Inſularum epiſcopus, transfuga: ſummæ vir prudentiæ, quíque jam tum animô præviderer in *Eliſabetæ* moribus, quantâ *Stuartæ* fractas fortunas eſſet crudelitate vexatura: primùm omnium, ſpei multiplicis, quam ex *Angla* ſibi *Scota* fingeret, *Inaniam* difflabat; contrariis contraria diſſolvens: vicinitatem, invidiæ facilitate; propinquitatem, ſanguinis rarâ gratiâ; ſororios, & fœderatarum, titulos, uſitatâ Mundi pellaciâ; gemmas mutuas, alternô vani fulgoris luſu; litteras invitatrices, fallaci Sirenum aſsuetudine; dulcè canentium, donec demergant. Indè, clariore monitu, *Per quidquid ſacrum ac ſalutiferum eſſet*, MARIAM obſecrabat; *Eliſabetæ* ne ſeſe committeret. *E Charybdi declinatâ, lapſuram in Scyllæ voraginem. quæq; domi fugiſſet* accipitres, *foris incaſuram in* vulturini vultûs *terribiliorem* Harpyjam: *cuj. virginea facies, ſed uncæ cruentæq; manus; & ora (niſi, quà ſtibiô purpuriſſóq; diſſimulata ſint) pallida ſemper cadaverum Papanorum fame.* (219) *Scotiam*, *Stuartæ fuiſſe* Patientiæ Theatrum. *Angliam*, *ſi per-*

si pergeret eò, futuram ei malorum, ex omni parte circumcludens, Amphitheatrum. *Utrum leo sedeat illic, an leæna; nihil interesse. Commeantium in catábulum illud, ovium, & agnorum, vestigia, prorsùm & antrorsum omnia tendentia, spectare se; sed retrorsum, nulla.* Demum, *sævientis illius belluæ, Cibum* esse *selectum.* (220) at, ubi *regius* ei *bolus* obtingat, *electiorem.*

Hæc, & horum similia plura, cùm diceret *Hamiltonius*, (asentiebantur autem & Harrisius, & Flaminius, ac Lochimvárus, dictis ejus); cúmque præterea reginam, unà cum iisdem illis optimatibus, vehementer *oraret*, sed immotam; ad extremum, effusè flens, *peroravit*; ac tacuit.

Rediturus autem illuc, unde venerat; ne suarum partium Proceribus *fecisse* nihil omnino videri posset, quòd *profecisset* nihil; consilii sui, dissuasionísque, publicô se, contra malevolorum suspiciones, testimoniô muniri postulavit; quod in Acta postea referretur. & impetratô, discessit.

Haud dixerim; affectûsne tam paterni sensu, quo debuit, *Archiepiscopum* abs se dimiserit *Regina*; profectionis tunc Londinen-

sis,

Appendix, ad Annum 1614.

ſis, & Eliſabetæ-promiſsorum, cogitationibus occupata? Vix enim, ſub unum idémque tempus, in animo, *Spes* ſimul, atque *mœror*, habitant. *Mœſtitiam* concipere *Regina* poterat, è tam fidi, piéque chari, capitis abitu. Suppetiarum autem, & reſtitutionis in regnum, certiſſimam *exſpectationem* hauſerat; ex *Eliſabetæ* mellitis ad ſe *litterulis*, omnîque Circæo carmine blandiùs, omni magnete potentiùs, illicientibus trahentibúsq; promiſsîs; quæ refert in *Stuartæ Vindiciis*, propemodum ad verbum, Obertus.

Illecebris (inquit) *aptè compoſitis, & arte, tanquam emblemate, vermiculatîs, per Viciniam, per Sexum, per Sceptri communionem, per Sanguinem, rogat Angliæ regina Scotiæ reginam: ut in Angliam divertat. Nihil tutius, in tanta vicinia. Nihil liberius, quàm apud Sororem. Si veniret; promittere ſe virium ſuarum auxilium. Si non veniret; interpretari, factam à Scota ſibi contumeliam. Intereſſe cunctorum Europæ Principum; ut ea Scotorum rebellium perfidia vindicetur. Alioquin, impunè ſi ferant iſtam, à legitima Regina ſua, defectionem; graſſaturum id exemplum, ad commune Regum ac Regnorum omnium*

mnium incendium. Facilè sic inventuros rebellandi caussam refractarios subditos, adversùs Principem; maximè Fœminam, insidiis patentem.

QUIS in hæc, tot, ac tantæ comitatis, incantamenta, cum *Ulysse*, clausisset, & obturâsset, aures? aut *in spem, etiam contra spem*, non caput arrexisset? non penitùs inhiâsset? Et nihilominus, non se *Sirenem* hanc, sed *rationis* sequi lampadem, *Stuarta* putabat: cùm in Angliam festinabat. Sic utrimque discedebatur.

Reliquit tamen abiens *Hamiltonius*, (nec ipse Reginam revisurus, nec ab ea postea revidendus unquam,) in ejus, fortasse tunc incogitantis, pectore, tanquam altè defixam, & olim ex longinquo vulnus refricturam, *sagittam*: suî nempe, tam veraciter ac providè vaticinantis, *memoriam*. Cujus recordationis impulsu, MARIA, serò pôst, jámque dudum tertiô clausa carcere, Galliarum Regis Oratori, se visenti, narrans hæc, sicut à me narrata sunt; suas, erga Scotiæ Primatem-Sacrorum, surdas aures, & immorigeram voluntatem, infusa lacrymîs, accusavit. (221) Ità, fletu piô, certârunt inter se

ſe Joannes, & Maria: *Crucis* Chriſtianæ deguſtandis fructibus uterq; liberaliter ipſi quoque deſtinati. Ceciderunt enim tandem, *in cauſſa Religionis*, (ſi fateri, quod res eſt, volumus) ambo; collô plexi, ſublatíque: *Præſul* laqueô, bipennî *Regina*: ſub Prorege Scotorum, *Hamiltonius*; ſub Angliæ regina, *Stuarta* regina; quidquid adversùm iſta ganniat, in Hiſtoria Scotica, ſceleſta vulpes, fallax *Buchananus*. (222)

LXI. Cæterùm, digreſsô jam Hamiltoniô, Regina *Stuarta* ſuam, quam cœperat, decreverátque, viam & ſententiam inſiſtens; anteceſsores, è ſuorum honeſtiore comitatu, dynaſtas in Angliam præmittit; *Flaminium*, & *Harriſium*. Ipſa ſubſequitur; per Northumbriæ fines, ſecundùm Cambriæ latus Orientale; per mediam Weſtmorlandiam, Londinum versùs, iter habitura. Quod illa faciebat; nullâ ſuâ, donec in amplexum irrueret Eliſabetæ ſuæ, quiete: *luſciniæ* ſimilis *Aldrovandinæ*; quam, in arbore ſecuriſſimè ſedentem, pſallentémq;, bufo, vel baſiliſcus, aut coluber grandior, inferiùs fixîs intuens, ac faſcinans, oculîs, trahere deorſum non ceſſat: donec miſella, gradatim à ramo deſiliens

liens in ramum, & copiosè flens, in os tandem, & dentes, interfectricis bestiæ seipsam immittat; ac pereat. Hoc ab *Elisabeta* tandem *Maria* patietur. à qua, verisimillimum est, subindè tacitè respiciente, valedictione quapiam silente, nec sinè suspiriis ancipitibus, salutatam fuisse *Scotiam*: quam ipsa certè (verùm tunc incerta, futurique nescia,) nunquam esset *in vivis* aspectura. Sed nec, si sibi, *Sapientiaq; Sanctorum*, (223) constare vellet, erat desideratura; *qualem post se relinquebat*: eâ videlicet, talique *Scotiâ*, contenta, quam, & qualem, *secum*, ut regni supremum in civilibus Caput, animo voluntatéque tenus exportabat. Efferebat enim Stuarta secum *Ecclesiam Orthodoxam*; quanta per annos, à Christi regno cœptô, *plusquam mille, ducentos*, pérque diademata regentium *octoginta tria*, fulserat, ac floruerat: & quanta qualísque posthac, *Ab Exitu* Stuartæ Viraginis *ex Ægypto* Scoticâ, per annos, ecce, jam *Centum*, *ac Septem*, (224) nunquam *publicô professôque* Sacrorum cultu, remeavit. Reliquit autem à tergo, maximâ suî parte corruptâ venenô-Puritanô Scotiâ, non *Ecclesiam*, sed (qualis eâ tempestate bacchaba-

chabatur, & flagrabat,) STUPAM collectam, SYNAGOGAM peccantium: (225) regnum *tunc*, ſcelerum & perfidiæ: ſacrorum profanorúmque judices, Murrayos, & Mortonios; Knoxios, atque Buchananos. quibus Feſti feriatíque dies omnes, expuncti faſtîs, & *Stercus ſollemnitatum* (△) exſecrabile fuerunt: quibus templum, adhuc integrum, *Abominatio deſolationis* (226), *ſtans in loco ſancto*: quibus Superorum imagines, *Idola*; quibus Chriſtiana *Crux* quævis, *Inſignia* deteſtabilis *Antichriſti*, cenſebantur (227); *Panis Angelorum Euchariſticus*, nudus à piſtore bucceæ-bolus; *Sacroſanctus* JESU *Sanguis*, poculum vini ſpumans, magnîs hauſtibus exſiccandum: *Miſsæ* Sacrificium, *prægrande Sacrilegium*; Miſsæ præſentem ſe ſtitiſse, *piaculum*; ſemeſtrî, nec adulteris diſpare, veſtitûs ignominiâ, publicè caſtigari ſuetum. &, quæ non alia, novorum deliriorũ monſtra? (228)

LXII. Talî *Regina* cedebat è *Scotia*, feſtinans in Angliam: &, in ſingula (ni fallor) temporis internodia, promiſsum illum *Regnatricis Angliæ* præſtólans, ad regni limites *Occurſum*: cùm, ecce, vices *Anglorum-reginæ* ſuppleturus adeſt, ad introitum

Cumberlandiæ (229) borealem, Franciscus quidam *Knollius*; Germanicum, pinguis & rusticanæ Minervæ, cognomentum: fortassis autem, & genus. Is, prætoriano reginæ satellitio præfectus, cum apparitorum aliquanto numerô, non leviter armatorum, adveniens, ac, per caussam & speciem honoris, *Stuartam* excipiens; missum à *Regina* sua sese profitetur, cum armigerorum aliquantâ manu, non, qui vim illi, sed præsidium, & securitatis pignus, circumponerent; in tanta rebellium Scotorum, passim ac latè grassantium, petulantiâ. Simùl autem, ejusdem illius Reginæ suæ verbîs, & auctoritate, vetat; *Mariam* ulteriùs ad interiora regni progredi; sed, quoad aliter potestati supremæ visum foret, *Cárlili* subsistere. Cætera, tempus, & curiam, expeditura. *Cárlilim* interim, ei pro *Londino* fore.

Non delectavit MARIAM, tam imperiosum hospitalitatis exordium; multò verò minùs, hospitium mox ipsum; & in illius interiora deductio. Nam, ad primum ejus ingressum, mutata facies *deductoris*, in *prætorem*; comitatus, in custodiam; diversorium, occlusîs retrò portîs, in carcerem est. Urbs erat

erat *Carlilis*, (Florimundo *Carléolum*) opere, naturæque ſitu, permunita. mœnibus, ſaxorum compage firmiſſimîs; adhæc, amnibus Irdingô, (230) Peterillô, (231) Caudâque, ſuccingebatur. locus, (ad ſummam,) Lævini lacûs caſtellô non infirmior, *ad cuſtodiam*. Prætentui, tam accurato clauſtro, ſumpta fuit, *ſollicitudo* Reginæ cognatæ; ne, circummunita debiliùs, furore Scotorum rebellium, omnia propugnacula transſcendentium, *Stuarta* tandem extraheretur ad *pœnam*.

Sed neminem intelligentiorum fallebant *Eliſabetæ*, multâ jam inolitâque conſvetudine *bilingues*, in ſimplici decreto, *ſenſus*; & *Punicæ ſtolatorum Ulyſſium* (232) *artes*: in Auguſti primùm *Livia*; pòſt, in *Agrippina* Claudii, Chilpericíque *Fredegunde*, gravibus Paci-regnorum *Tanaquilibus*, (233) prælusæ.

Cæterùm, intentas in MARIAM, ſic circumcluſam, curas & oculos gerebant, non *Knollius* tantùm, & agentes ſub eo vigiliæ: ſed *Scrupus* etiam quidam (id illi nominis erat,) Cumberlandiæ limiti ſeptentrionali tutando præpoſitus. (234) præ cunctis autem aliis, *Eliſabeta*; Londini quidem ipſa ſedens, ſed in longinqua terrarum ſollicitu-

dines ſuas, & imperia, diſtringens; ne ſibi
ſic arctè jam in unguibus hærens, *Scota*
(diffugiorum hucuſque facilis, & felix,) ela
beretur.

LXIII. Inter hæc autem, poſt fuga
tam è Scotia ſororem, Stuartus ſpurius, *Pro*
rex, regni Procerum indixerat, *Edimburgum*
conventura, *Comitia*: quibus, tum aliîs d
rebus ancipitibus ageretur; tum, ante con
troverſias alias omnes, de cæde *Darlæi reg*
anquireretur. Hac cognitâ re, ſicut alib
jura viciniarum ad ſe libenter, ac frequen
ter, *Eliſabeta* trahebat excelſus ſpiritus; ſi
illa tunc quoque, miſsîs ad *Murrayum ſpu*
rium, (ceu ſibi per omnia venalem, & ob
noxium,) mandatîs, ſeipſam negotiis Scotici
intruſit. *Comitiorum* enim illorum cauſſam
univerſam, ac præſertim *Regicidii* cognitio
nem, ad ſe revocavit: ſeſe Judicem arbi
trámque conſtituit: *Stuartæ*, *Murrayíque*
partium actores, & patronos, evocatos Edim
burgô, juſſit Eborácum ire: Londinô, ſuo
rum è numero, quos vellet ipſa, protinu
eodem ſe ſubmiſſuram, denuntians; cauſsám
que non diſſimulanter interſerens, *Inter ſe*
Darlæúmque ſuffocatum, *ſanguinis* (quod ve
ru

rum erat) *propinquitatem intercessisse. Non posse proinde, nec debere se, necessitudines, & suas, & utrimque regias, negligere.*

Factum ad nutum est, quod *Elisabeta* jussit. Anni, post Christum natum, millesimi quingentesimi, duodeseptuagesimi, die quarto Nonarum Octobrium, Eborácum intrârunt, è *Scotis* ii, qui se *Legatos* nominabant: reipsa verò, Reginæ suæ *perduelles*, ad eum usque diem; deinceps autem, *Accusatores* & *latrones* futuri. Veniebant autem, magnô, *plusquam centum armatorum*, satellitiô stipati: (235) Jacobus Stuartus, nothus, Murrayæ Comes, & Scotiæ tunc *Prorex*: Jacobus Duglassius, Mortonii Comes, & omnium Murrayi scelestarum actionum collega: Patricius Lindesius, Patricio Ruveno sicario, sicut nominis parte, sic & factîs, par & concolor: Adamus, ille notissimus, ex Orcadum Episcopo Catholico, pseudepiscopus Puritanus, apostata, necromantiæ suspicione perspersus. Abbas item Fermelinodúni, Robertus Petcarnius; *Murrayanæ*, quàm cognationis, tam & factionis, notâ maculosus: Jacobus Macgillius, & Henricus Balnavius, liberrimæ *cauteriataq;* conscientiæ *Leguleji*. Tandémque, (236)

Maria Stuarta.

que,(236) post *Murrayum spurium*, pestilentissimus omnium, *Georgius* ille *Buchananus*; è monacho Minoritâ, transfuga primùm, & *Islebicæ factionis* sectator. indè, *Calvinianus*, & Calviniani Knoxii cultor. ad extremum autem, & *Atheorum* scholæ docilis discipulus; & impiæ disciplinæ doctor. (237) *Concilium*, mediusfidius, egregium! in illo *fratrum Ætnæorum* cœtu repræsentatum, *alta cœlo capita ferentium*; (238) adversùs Reginæ-nuper-suæ caput, ac salutem.

LXIV. At exadversum, *propugnaturi* Stuartæ caussam, & acta, *Scoti meliores*; aliô nullo, nisi fiduciæ Juris & æqui, præsidiô cincti deductíque, se tribunali stiterunt *Eboracensi*: nec aliâ tamen, quàm *Reginæ Scotorum*, auctoritate; non autem, *Anglorum*. MARIÆ, dico; non, ELISABETÆ. Sed inter hæc, *Elisabeta*, propter hoc ipsum, ut sese, non illius *custodiæ* duntaxat, sed *Judicii* quoque, gerere Præfecturam, monstraret; *Mariam*, Cárlili moveri jussit: &, à tribuno, (quem paullò suprà nominavi,) *Scrupo*, transferendam, in pagum municipiúmve, cuj *Bortóno* (239) nomen, curavit. Id eò faciebat: quòd is locus, diversoriô pri-

primùm, caſtrôque permunitô, ſatis inſtructus: deinde, ſimul & *Eboraco* vicinior eſset, in finibus *Weſtmorlandiæ* conſtitutus: ac firmitas ejus adjuvari validioribus inſuper excubiîs (utì factum eſt), omnes in opportunitates caſúsque, poſset. Huc *Eliſabeta*, quid à *Maria*, vel circùm eam, fieri vellet, mandabat: & indidem *Maria*, ſuæ partis *Advocatis*, quales ſeſe gerere fas eſset, ad Eliſabetæ tribunal, & contrarias erga partes, præſcribebat.

Stabant verò pro *Maria* ſpontè volentésque; nullâ, nec prece, neque mercede linguæ, tracti, vel inducti: qui jam tum *Edimburgi* quoque, Septembri menſe, pro Regina ſua legitimâ, contra *Proregem illegitimum*, ſeſe ſtiterant. Joannes Leſlæus, Roſſienſis epiſcopus; Joannes Gordonius, Jacobus Cocburnus, Galbínus Hamiltonius, Gilbertus Brunus; Bodius item; &, acerrimus omnium, *Harriſius* Baro. (240)

Porrò verò, *Londinô* quoque, die, quo Murrayus cum ſuis, quarto nempe Nonarum Octobris, Eboracum ingreſſi ſunt, viri primorum ordinum; audiendis, & cognoſcendis criminibus, nec non eorum purgationibus,

percipiendis destinati. Ne parvam horum crederes occupationem futuram; erant hi, regias *Elisabetæ* vices obituri: Thomas Havardus, Norfolciæ Dux; Sussexianus Comes; Rudolphus Sadlerius, Equestris ordinis; alíque nonnulli.

Suos porrò *Scotiæ Reginæ* miserat, istiusmodi cum mandatis, ad Judices, ac Quæsitores. *Præfari, protestariq; Scotiæ Reginam, ore legatorum suorum; se neque Judicum, aut cognitorum-caussæ, Londinô missorum, nec ipsiúsmet Anglorum Reginæ, tribunali subjacere. Legatos verò, quos adesse cernerent, Eboracum expedîsse se; non, uti caussæ suæ defensores, & advocatos forenses: sed, ut pacificos controversiæ præsentis* Interlocutores: *quippe, quæ nec in Anglia, nec usquiam terrarum alibi, sui Judicem, aut potestatem superiorem, habeat: præterquam, quòd legitimũ Ecclesiæ Romanæ Caput, in negotiis Animæ, seu Spiritûs; DEUM autem ter maximum, IN OMNIBUS super omnes, agnoscat. Quod totum, nequando vel sibi, posterisve suis, vel Regno Scotorum, esse fraudi possit; iterum iterúmque se denuntiatum eis, per Suos, tanquam Seipsâ præsente, cupere, jubere, declarare: jure, quo quem unquam, optimô.*

Velle

Velle demum, hæc in Acta, poſterorúmque memoriam, mitti.

Talibus Reginæ præfinitionibus, ore legatorum, in conſeſſu recitatis, cùm Juris callidus nemo palàm contradiceret: agi mox de litibus & controverſiis cœptum eſt, quæ, rebelles inter Scotos, & Reginam eorum, gliſcebant: citóq; *veterem ranæ* Píſticæ *querelam recinere* (241) ſunt orſæ, *Super Auctore cædis Darlæanæ*: quam *Murrayanæi*, Mariam dicebant Stuartam fuiſſe: *Stuartæi*, negabant; & principem, (inſtigatoribus tamen Murrayô, conſciîsque,) *Regicidii* miniſtrum extitiſſe *Bothuelium*, clamitabant. Ibi tum, *Darlæanum* etiam, adversùs *Davidem Riccium*, facinus, & *homicidium*, refricabatur. quarum ego cædium ambas, diffuſiore ſum narratione ſuperiùs, conſultò, neque negligenter, (utì reor,) exſecutus: &, quia furorum illorum alter alteri præbuiſſe cauſſam exiſtimabatur; &, quoniam eorum ferè plerique, quibus, *Stuartæ-res* poſteritati tradendi, labor ex obliquo duntaxat in manus venerat, ſeriem rerum *libârunt* magìs, quàm *exhauſerunt*. Quòd enim id inſtituti ſui, propoſitíque primi, negabant eſſe: quædam

L 5 (metu,

Maria Stuarta.

(metu, reor, ſcopulorum, ac Syrtium,) *tranſcurrêre* veriùs *obiter*, quaſi *littus radentes* hiſtoriæ; quàm, ut in altum evecti, *Veritatis bólidem* (242) ad imum fundum demitterent. Quorum ego neutiquam reprehendo conſilium; quippe, quorum profeſſionis non fuerit, exſequi ſuper omnibus omnia: ſicut nec meæ rationis, aliquid eorum prætervolare; ſinè quorum cognitione nequeat plena lux obtineri perceptionis eorum, quæ *Rex Angliæ, Jacobus*, ſepulcrali ſuæ Matris involvit Encomio: quod harum narrationi rerum, ad metam perductæ, ſubjungetur. De cætero, quod Mevanienſis elegiographus (243) prudenter admonet: *Suá quiſque viá nôrit ire*; fugiens, eſse cenſor *Alienæ*. Nos ad inceptum redimus: &, quid, vel quínam, aut quo ſucceſsu, pro Maria Stuarta, vel adversùs illam, contenderint, qui tunc Eborâci conſederant, in ſummam convolvimus: quæ talis eſt.

LXV. Occiderat Edimburgi, *Davidem Riccium*, Sabaudum, falsîs inductus ſuſpicionibus, à Murrayo ſpurio ſuſcitatîs, *Henricus Stuartus*; è Barone *Darlæo*, beneficiô Reginæ Mariæ Stuartæ, cooptatus in thalami ſimùl, & ſo-

& solii regii, consortium: & occiderat suâ, consciorúmque manibus, raptum à Reginæ consiliis pariter, & epulis. Interfecerat, in oculis propemodum, & ante pedes, *Reginæ*, tum maximè *prægnantis*, & partui (sicut memoravimus) vicinæ. quam & mox, summam per contumeliam & indignitatem, incluserunt; cum Regina sua, tanquam Reâ capitis, agentes; cùm potiùs ipsi *læsæ Majestatis manifestè*, multîsque titulîs, *Rei* tenerentur. Idq;, ne *Rege* quidem (utì ferebant) exemptô; si vel ad tribunal, vel ad pœnam, veniretur. Non enim deerant, qui, Juris & æqui consultissimi, sic verbîs ac stylô disserent. *Darlæum Principem, fuisse maritum Reginæ; sed maritum SUBDITUM. nec enim, cùm faceret eum* Regina *sibi* Conjugem, *exclusisse* sibi-Subditum. *quippe, Rege genitam, regiæq; successioni natam, maritum* privatæ *sortis adoptantem in solium: cujus interim supremum jus, & arbitrium, penès ipsam unicè resideret, in omnes ex æquo Scotos, reginæ subjectioni natos. Nubere juveni Darlæo Reginam, nonnihilô gradibus annorum superiorem;* rem *fuisse*, benevolæ mentis. *Imperare, sibi-copulato, mansisse* rem *juris. nec id nescîsse Darlæum; sed*

sed agnitionis ejus (antequam ad furoris actum illum prosiliret) signa constanter omnia prompsisse: putà, præsente Reginâ, nudum & intectum caput; curvata prætereunti, vel assanti, genua: cessionem prægressûs, ac dignioris loci; cæteráque, quibus ostenderet maritus rex, in ea meminisse se, præter Conjugem, habere non modò Reginam gentis, *sed* & Suam. Thalami se socium *esse*; sed *Solii ministrum*: regiísque legibus adstrictum manere. Quocirca, siquando quid, junior, adultiórve, contra Majestatem deliquisset; Majestati pœnas debiturum. *Quid atrocius autem, reverentiâque sceptrorum indignius, designari potuisse: quàm, quod in oculis & vicinia Reginæ, dementi simillimus (sed interim nihilosecius intelligens) patravit* Darlæus *in* Davide? *cujus & in trucidati visceribus defixum pugionem reliquerit*; contemptæ, *talî carnificinâ*, Reginæ, *tesseram atque monimentum exhibiturus*.

Hîs igitur, & siquibus aliis de caussis, potuisse, (disputabant illi *Juris-sacerdotes*,) (244) à Regina-Scotiæ perduellionis infligi supplicium *homicidæ Darlæo*. quod nos in medio relinquimus; eâ *Reginæ* mansuetudine prædi-

prædicandâ contenti, qua ſcimus, illam, *non, quæcunque potuerit, effeciſſe*! de marito verò necando, ne cogitâſse quidem unquam: ac, ſi *Summum* in *eo Jus* perſequi deſtinâſset, id *viâ modôq;*, non *latrocinio*, fuiſse perfecturam. multò minùs, *adversùs ſopitum & incogitantem*: quô ſanè fieret, ut à *Reginâ*, (tam alioqui piâ) colligendi ſuî ſpatium homini præcideretur, *Æternitatis* iter inchoaturo; præſentísque vitæ viam finituro. Quia tamen, quadam Juriſperitorum ſententiâ viſa fuit, *occidere potuiſse*: *licentia faciendi*, pro *facto* percrebuit; &, calumniarum, ex hoc, anſâ raptâ, *Puritanorum* mendaciîs, apud temerè credulos, *Regina* decantabatur, *Occidiſse*; quæ morti *Darlai*. nec manum, nec mandatum, neque conſilium, aut adeò conſcientiam, commodârat.

Quid igitur eſt? aut quis, quorúmve conſiliîs, ac miniſteriîs, *regem Darlæum* interfecit? In ſuperioribus accuratè jam, & per ſingula, demonſtratum à nobis eſt; Bothuelium *occidiſse*; Murrayum, & Mortonium, *inſtigâſse*; conjuratos cæteros, *operam junxiſse*. Diximus.

LXVI. Iſta cùm *Eboraci* quærentibus Londi-

Maria Stuarta.

Londinensibus-caussæ-cognitoribus, partis Stuartææ *legati* dicerent, (adversariis iis ipsis, qui nominabantur, ut-auctores-cædis, præsentibus; nec fortasse dicendi *libertatem* illam exspectantibus,) *Murrayus Prorex*, *&* *Duglassius Mortonius*, non modò vultum & colorem, sed corpus etiam, huc illuc variô situ, vertebant. *Murrayus* præcipuè, negitare sedulò. totam à se culpam, & conscientiam interfecti Regis, procùl aspellere: nunc in hæc, nunc in alia, se torquens. *Quo tempore* Darlæus *interierit*, *alia quavis se tunc egisse*, *cogitâsse*, *mandâsse*. *quid multîs?* Edimburgô, *quo loco facta cædes sit*, *se procul abfuisse*. *Cædis*, *nec auctorem cujquam*, *nec conscium fuisse*. quæque talium similia plura garriebat: negante non minùs, ac pernegante, criminis omne consortium *Mortoniô*. QUIS enim facinorosus, projectè loquax, non plura *negare*, quàm vel decem Cicerones *probare*, potest; ubi semel ad mentiendum obfirmavit animum?

Sed, quamvis ista *Murrayus* tunc, & *Mortonius*, cum suis, inficiando conarentur enervare; séque pro Stuartæ potiùs *Accusatoribus*, quàm *obnoxiis*, gerere: *duo* nihilosecius, (tanquam, mediîs è nebulis, *Dioscorórum*, de

[ſi]de noĉte, ſidera) (245) præclarè, tum eo conſeſſu, tum magìs magísque poſthæc, indies emicabant. *Alterum*; Auĉtorem Darlæanæ cædis *palmarium*, fuiſse Proregem *Murrayum*, cum faĉtione ſuâ; nec non, eundem ipſum, Reginæ Bothueliíque nuptiarum conciliatorem. *Alterum*; In Reginam Stuartam criminum illorum valuiſse nullum.

LXVII. Interitûs Darlæani *præſcium* & *participem* extitiſse *Murrayum*; vir, *conſcientiæ*, *virtutum*, *ac Veritatis*, (246) ſtudioſiſſimus, *Harriſius* Baro, qui tum inter Stuartæ (velut dixi) legatos erat, diſertè lucidéque docuit: cùm oſtenderet, Eos, illo ſuper negotio, crebrìs in arce *Cragmillarianâ* (quod illi loco, duobus milliaribus *Edimburgô* diſtanti, nomen eſt) conſiliîs, exclusâ ſemper inſciâq; Reginâ, vacâſse: ſéque deliberationum illarum aſseſsorem auditorémque, ſed approbatorem nequaquam, fuiſse. Firmabat iſta ſanĉtè, graviſſiméque conceptîs verbis. Adhæc ſeparatim, at voce clarâ, *Murrayum* compellans: Eum meminiſse matutini temporis jubebat, quô, profeĉturus Edimburgô foràs, manu ſuâ prehensâ, ſolantis in morem ſibi prædixiſset; *Antè, quàm Sol poſterus*

ſterus illuceſceret, Darlæum Principem occubiturum. Idq́ue poſt *ſedecim dein horas* eveniſse, prædictione nihil fallente. quemadmodum ſuo ſuperiùs locô narratum eſt. Id autem in hunc ſe modum habere, quò manifeſtius, ac fide dignius, etiam capitis ſui periculô, Quæſitoribus Anglicanis efficeret: non dubitavit *Harriſius*, eodem illo, ſurgens, ac ſtans, & perſiſtens, veſtigiô, provocare, primò *Murrayum*, Scotiæ *Proregem*: deinde, ſi nollet, aut non auderet hic, aliorum *Murrayanæ factionis* Procerum quemlibet, ad ſingulare certamen, ac rem ferrô diſceptandam. (247) Diſſimulantibus autem univerſîs, & conditionem, *pacifici conventûs pactîs* prætensîs, eludentibus (id timiditatis eorum, in iniqua cauſsa, mantélum erat): ulteriùs exardeſcens Harriſius, exprobrare Murrayanis cœpit, Quàm iniquè ſceleratéque Reginæ candorem, quò Darlæi necati culpam in eam detorquere poſsent, circumſcribere ſint auſi; credulitatem ipſius *ad nuptias Bothuelianas* impellendo. *Cujus ſceleſti* (clamabat) *conſilii, non alius, aut prior, inventor impulſórq; fuit, aut poſtea calumnioſior, apud omnes omnium ordinum mortales, exagitator; quàm Tu,*

Tu, (feras, ut voles, iſta) Tu Comes, inquam, Murrayane; Sororis, tibi tam beneficæ, perſecutor tam malevole! quem, ſi mentior, cupio, meî refutatorem: ſi veridicus ſum, te ſororiæ criminationis retractatorem.

Cùm frénderet, in hæc, *Murrayus*; minacîque quà vultu, quà linguâ, ſemibalbutiens, *Eorum ſe nôſſe quidquam*, abnueret, ac dejeraret: *Epiſtolam* è ſinu prolatam, obtrudens *Proregis* oculis, *Harriſius*; jubebat, & ſignum ab eo ſuum, & manum, recognoſci. Poſtquam is negare neutrum auſus eſt: in ruborem totus, & undequaque datus, ſuam, ore mutô, perfidiam eſt confeſsus. Erat autem ſcriptum illis in litteris, ad Stuartam à Murrayo datîs (quas & Anglis, cauſsæ cognitoribus, palàm exhibuit, ſi non & récitavit, *Harriſius*) inter cætera: Cùm jam, non maritali duntaxat domô, cubilîq;, ſed & vivîs, emigrârit uxor Bothuelii, *Gordonia*: (248) *Periculum eſſe, niſi nubat Regina* viduo *Bothuelio.* *Si* verò collocetur illi; *Pacem ab inſidiis eſſe*; *Pacem à turbis* fore. *Rogare* proinde ſe *Reginam*, etiam etiámque, majorem in modum: deſpondendam ſe det, & collocandam, quæque talium alia *Murrayus*

M inge-

Maria Stuarta.

ingerebat Reginæ. Quæ lecta, monstratáque, consessui; stupore *legatos Elisabetæ*, solatiô propugnatores Stuartæos, indignatione conjuratos Murrayanos, confusione summâ Murrayum ipsum, replebant: cujus *frontem*, quantumlibet alioqui ferream, & crudam, tunc tamen ista *verberabant*, & in flammam dabant, *arcana* denudata. (249)

Porrò, penès *Murrayum*, ac scelerum ejus socios, *Regis interfecti* noxam resedisse, sicut & *nuptiarum Bothuelii maculam*; hactenus hæc, & alia plura, quæ tunc proferebantur, cœtui quæsitorum probabant: & approbabantur.

At, ut è diverso, *Reginam Stuartam* criminis utriusque puram penitùs, integrámq;, compertam constaret; alia compluria, partim illo tunc eodem conventu, partim & pòst aliquantò, claram in lucem protracta, non poterant æquos rerum arbitros latére: non debebant *Elisabetam Anglam* fugere; vel implacabilem *Mariæ Scotæ* relinquere. Sic verò, quemadmodum exponam, acta res est.

LXVIII. Qui *Londinô* missi *Quæsitores* Eboracum fuerant; Murrayi, sociorúmque, manifestâ cognitâ calumniarum in Mariam vani-

vanitate; cuncta, quæ compererant, non in *Acta* solùm *judicialia*, sed *Elisabetæ* quoque, *Reginæ* suæ, seorsim, fide summâ retulerunt: certi, tum ipsi suîs in animis, tum idipsum apud alios quoque præ se ferre non veriti, culpâ Regicidii MARIAM *vacare*; Mariæ verò criminatores, *premi*.

Reginam *Elisabetam* mordebant hæc, & quòd *pudicitiæ* famam in *Stuarta* nihildum solidè, salvâque veritate, læderet: &, quòd *Darlaanæ cædis* argumentîs nullîs illaqueata teneretur. Neutrius istorum piaculorum testimonium sincerum cùm adversùs eam inveniret; alterutrius tamen, si non & utriusque, *notam* in illa quærebat. Non defuit, qui *Vulpi mythologicæ* Reginam Anglam compararet: quæ, syrmate propter gallinæ furtum amissô, spectare gestiebat & alias, ordinis sui, cunctas animantes, sinè flabello postíco prodeuntes. Laborabat *Elisabeta* (quod nemo nescit) *crudelitatis*, apud quàm plurimos, infamiâ. cuj mariti-cædem in Maria, cupiebat, ut æmulam, opponi. Præter hanc (quod trans maria cantabatur) à suspicacibus aspergebatur furtivarum libidinum rumoribus. Si verîs; haud dubiũ, quin iisdem

ſordere nævîs *Stuartæ* quoque *formam*, haud dolenter latura fuerit : adeóque lætatura, *Si par Reginarum unum, unius Inſulæ, parallelum in vitiis inveniretur ; &, ex æquo, per æmulationem ſordium, inter ſeſe contendens.* In hæc, Teſtimonium exoptabat Eliſabeta, vel falſum. Hujus illa pravæ voluntatis miniſtros ſicubi non habuit, ultrò ſemet offerentes ; paravit eos pretiô, potentiâ, minîs.

Hôc igitur improbæ mentis incitata tunc quoque, ſtimulô, Londinum evocatis Eboracô, Stuartæ perpetuis ac juratis hoſtibus, *Murrayo*, *Mortonio*, *Lindeſio*, ſegnitiem exprobrat, & ignaviam, in evertendâ criminibus, & criminum argumentîs, *Stuartâ*. Verbîs acribus, *in commune* jactis, increpat *Scoticæ legationis futilitatem* : ni præſentem in Actionem ardentiùs incumbant. Super hæc autem, demonſtrat, *præ cæteris*, (& *arcaniùs* aliquantò,) *Murrayo*, neque tamen collegis legationis non idem intelligentibus ; *Haud eſſe, vel decreti ſui, vel è regni rationibus, Elabi ſibi Scotam. Facerent illi poſthac, quod Accuſatorum eſſet, intentiùs ; cauſſæq; jugulum, intermiſſione nullâ, premerent. Se quoque,* nec

Appendix, ad Annum 1614.

nec Judicis accuratæ partibus, *nec optato litis exitui*, *defuturam*.

LXIX. Cum his *Murrayus* mandatîs abit. &, quia præſertim *Eliſabeta* mentem penitùs introſpexerat, *ipſi Decretum eſse*, perdere Ream, ac, *vel Innocentem repertam*, *pro Nocente Stuartam damnare*: (250) pergit *Eboracum* denuò; dein in *Scotiam*: poſteaquam priùs & *Londini* clam multa, vir peſtilens, miſcuerat; & *Eboraci*, ſuapte malitiâ jam dudum antè furentem, *Buchananum*, ampliùs in *Scotiæ reginam* incenderat: Scotus ipſe Scotum, & INGRATUS INGRATUM, adverſùs communem *utriuſq;* quondam PATRONAM. de quibus, amborum utrobiq;, malefactîs inferiùs quoque mentio recurret.

In *Scotiam* itaque revertitur, ut *Prorex*, ac *tortor*; qui nuper indidem, ut *accuſator*, & *calumniarum faber*, abierat. Id porrò, quod *Murrayus*, priuſquam *Regias vices* invaderet, in fortuna quodammodo depreſſiore tentârat, ac promôrat; ut, recentî *Darlæi* cæde, quæreretur in auctores cædis: ille poſtea, *Proregiam* nactus poteſtatem, & *Anglicæ Reginæ* nuperrimum ſtimulum, acriùs acerbiúsq; multò proſequebatur, & adurgebat.

Utroque verò temporum illorum, in id pænè ſolum, & maximè, totus cum ſuis incumbebat; ut quæſtioni ſubjectos, vi magnitudinéq; doloris fateri compellerent, *Inter conſcios participésq; Darlæanæ cædis, & Reginam Stuartam fuiſse.* Preſsêre tortos. In his, Nobilium quoſdam, ac Bothuelii, miniſtros. (251) ſed expreſsêre nihil. Quamobrem, à ſuetæ quæſtionum viâ *Murrayus* ad inſolitam, nec, niſi teterrimis quibusvis, animæ juxtà corporíſque latronibus, uſitatam, *extorſionis* artem convertitur: artem, fallaciámq;, planè Tartaream, ac Luciferianam, quam ego quondam in commentariolo geſtorum *Scoti*, neſcio cujus, *Equitis*, & *Heroidis*, Armoricorum Duci nuptæ, repertam; in *fabulis* numerâram. nunc, *rebus* ipsîs impletam à *Scoto* ſpurio, *Scoticam* in Reginam, deprehendo.

LXX. Cùm enim eorum, quæ deſiderârat, è reis nihil elicere ſe, videret Prorex *Murrayus*: ut tamen votum exſpectationémque ſatiaret *Anglorum reginæ*; nequitiam, ecce, novam hanc aggreditur. Pollicetur Darlæi regis interfectoribus delicti gratiam, eâ lege conditionéque: *Si, Stuartam* *Regi-*

Reginam cædis maritalis auctoribus operam quoquo modo commodâsse, palàm *omnî populo faterentur*, *&* *proclamarent*, eô rerum ac temporis articulô; quô, suâ quisque productus è custodia, per platéas celebriores educeretur ad suspendium. Tum enim fassis (etiam, collô jam in laqueum insertô,) *Proregis* auctoritate fore veniam, ac salvum reditum; pertinaciter autem negare perseverantibus, inexorabilem interitum. Carnificibus interim, *vir*, *animô duplex & linguâ*, mandata *clam* dabat; utriusque generis cruciariis laqueô gulam frangendi: præ cæteris tamen, eorum unicujque celeriùs, ac diligentiùs, *qui*, *Regicidii ream Stuartam*, *clamare non destitissent*: quò sic, Indicio, testimonióque, Stuartæi sceleris eos immortuos fuisse, publicè constaret. Quod, quid erat aliud; quàm, & hinc insontis famam, & illinc, in tam atroci re, mendacis hominis conscientiam, strangulare; móxque corporis pariter, animíque, Salutem in eo pessumdare? Sed, *Impio Proregi*, *quid curæ de lucro*, *dispendióve*, *regni cœlestis* erat; dum interim Angliæ-reginæ suum approbaret detestabile ministerium?

M 4 At

Maria Stuarta.

At nihilô magìs ideò *Murrayus* id, quod quæſierat, invénit. Primus enim omnium, *Joannes Hepburnus*, è familia *Bothuelii* Comitis, qui Darlæi Regis interficiendi miniſtrum & adjutorem ei ſeſe præbuerat; cùm hôc nomine traheretur ad ſupplicium, &, circumſtante *quinque millium* circiter ſpectatorum multitudine, palàm *Proregem Murrayum*, & conjuratos cæteros, necis regiæ compoſitores, *Bothuelium* autem *patratorem*, nominâſſet: voce non minùs clarâ ſonorâque, *Reginam Stuartam eſſe*, clamavit, *extra noxam. Sic ſe ſibi precari Judicem in cœlo mitem; uti poſtremæ ſuæ voces illæ, voces eſſent incorruptæ Veritatis!* In hæc, obiit.

Quod *Joannes Hepburnus* moriens, hoc idem, eodem in articulo rerum conſtituti, *Joannes Hajus*, *Tallovvenſis*, & *Purejus*, ac *Dugghiſius*, & *Paris*, (omnes, illius homicidii participes,) *Deô rerum omnium invocatô teſte, judicéque*, confirmârunt. Ità finierunt; *Stuartâ*, *ſceleris purâ* pronuntiatâ. (252) Senſit idem, cum aliis nonnullis Angliæ Proceribus, ac præ ſe palàm tulit, *Dux Norfolciæ*, *Thomas Havardus*; Eboracô, judiciôq;, (ceu, contra *Stuartam* nihil probante,) relictîs,

Londi-

Appendix, ad Annum 1614.

Londinum se demum recipiens : certúsque, Cædis & flagitiorum expertem integrámque Reginam esse ; quam *præjudicaturus* venerat, eam *desponsaturus* sibi, recessit. Cum hac ejus *Innocentiæ* veneratione, Dux ille vitâ quoque, non multò pòst, decessit.

LXXI. *Impræsentiarum* igitur, apud sobrios rerum æstimatores, ad *Mariam* reginam, Henrici Darlæi regis interitus, *nullâ* suî *parte*, pertinebat.

At, posterîs quídnam *annîs ?* Adæquè *nihil.* Cùm enim, *Solis* instar, ac *Lunæ*, sese *Veritas* ac *Mendacium* gerant; ut *istud* quidem variet semper ; *illa* verò, detersîs nubibus, suî sit perpetuò simillima : *Stuartæ* quoq; candor *Innocentiæ*, post sæpe revolutum temporis circulum, eodem sibi tenore constitit, inconcussus. Ostendent id, quæ dicam.

Decenniô jam, à morte Darlæi, *Bothuelius* (ut suprà subindicare cœpi) privatæ sortis mentitus habitum, ac maritimi quondam cursûs errore delatus in Daniam erat. Illic, Scotis à mercatoribus agnitus, ac proditus, à *Rege* verò *Cimbrico* datus in custodiam ; nec tamen, utì meritus fuerat, inclementer habitus : *morte* demum *instante*, quam illi

M 5 natu-

Maria Stuarta.

naturæ lex indixerat, *Episcopô* quodam præsente, convenitur, & urgetur à Rege: *Per, quidquid in alterius Orbis vita tribunalium, & pœnarum, formidandum sit, Ut de Darleana mortis auctore genuinô*, quodcunque sciret, exprimeret; etiamsi vel ipsâ de *Regina* (cujus domus, *Cimbricorum* regum domui necessitudine sanguinis innexa sit) confitendum sit. Ibi *Bothuelius*, altâ, quantùm vires sinebant, liberâque voce, *Sic Deum sibi mox propitium*, exoptat, & deprecatur; *uti percussor Darlai fuerit ipsemet; princeps autem instigator, Murrayus-spurius; administer verò, deductórque, Mortonius: Regina demum, neque conscia consilii, neque præscia.* Jubet, hæc in acta litterásque mitti, *Bothuelius* subscribit; signat; exspirat.

Ea, sic gesta dictáque, continuò Dani regis auctoritate, manúque, perscribuntur; tum ad alios Aquilonis principes: tum inprimis, ad *Elisabetam* Anglam. (253) neque tamen eam flectunt. Manet interim, ut in custodia, sic in *Innocentia* regiæ necis, optima *Stuarta*.

LXXII. Quid est autem, quòd, apud plurimos adhuc nihilosecius, tam pertinax

ci

ei *cædis maritalis* hæserit infamia? Non is ego sum (absit à me!) qui res, *divinæ*, nec ullum in dubium trahendæ, *Veritatis*, cum his conferre rebus coner; quæ *certitudinis humanæ* limites haud excedunt. Si tamen, à maximis quidpiam lucis aspergere rei minori fas sit: aliquid *Innocentiæ Stuartæ* simile passa dici queat, quod *Servatoris* Christi *Corpus incorruptum* ac redivivum, è tumulo saxeô reversum in terras. quando conjurata *Judaicorum Procerum* factio, porrectô *mendacii* stipendiô, dici dispergíque per impios, suíque nempe simillimos, milites præcepit; *Discipulos pseudoprophetæ Nazareni*, *nocte concubiâ*, *sopitîs sepulcri custodibus*, *venisse clanculum*: *ac, furtô sublatum, magistri sui Cadaver asportâsse*. Quem illorum, impudentissimæ licèt fabulæ, sermonem, adhuc suô, quo scribebat *Evangelium*, tempore circumlatum apud perfidos Judæos fuisse, Divus *Matthæus* conqueritur. (254) ídque fortassis, *hodiéq;* gliscat; inter Rabbinos, mendaciorum avitorum blasphemos hæredes, & abnepotes, inextinctum.

Ad eum ergò modum quendam *mimicum*, (exploratâ jam satìs *Elisabetæ* voluntate, quæ tota ferretur ad opprimendam *Stuartam*,)

Maria Stuarta.

artam,) Londinô reversi *Murrayus spurius*, & cætera rebellium prócerum lues; fabulam suam instruxerunt. Nam, Eboráci *Buchananum*, impuratæ legationis illius collegam, *precibus*, & (quis jure dubitet?) pretiô, quantumvis cæteroqui spontè semper ad scelera facilem, induxerunt: ut, titulô profeßô, *libellum* conscriberet, ac vulgaret, *Accusationis*: quo libellô doceret, & ostenderet; MARITI sui, Darlæi Principis, interfectricem fuiſse MARIAM STUARTAM.

Id, quod homo nequam, & ad omne nefas venalis, continuò, largéque, præstitit: eam, à qua *nobilitatus* ipse, provectúsque, *præstantis Poëtæ nomine*, fuerat, (sicut in loco diximus) facinorosâ *beneficii* tanti *sepulturâ*, cunctas apud gentes *deturpans*. (255)

Iisdem autem ipsîs, quæ congeßerat eô Scriptô, probrîs ac figmentîs, universam ille post hæc *Rerum Scoticarum Historiam* inspersit, infersitq; : tam insuper accuratus, astutúsque, mendaciorum suorum prævallator; ut, intellectô, post tot ab exordio litis annos, *Bothuelium* in extremis *Reginam* pronuntiâſse *criminis puram & inculpatam*, obliquè calumniari *Buchananus* sit ausus, *Id*

eum,

Appendix, ad Annum 1614.

eum, vitiô ſupremi languoris, PER DELIRIUM *effutiſſe*. (256)

Secuti *Buchananum*, haud multò pòſt, non *Scriptores* magìs, quàm *exſcriptores*; Hollingsédus quidam, Anglicanus, in Annalibus, *ad excuſandam Eliſabetæ crudelitatem compoſitis* (257): &, poſt *Stuartæ* mortem, ſed adhuc ipſo mortis annô, chartarum famoſarum conſarcinator quidam nulli *nominatus*, (ſi non ipſe, Stuartææ litis *Actor*, Puckeringius,) Joannis Onintédi Londinenſibus formîs evulgatus. quod maledicum ſputum, *Inſcriptione* notabatur APOLOGIÆ, PRO JUSTA SENTENTIA, CONTRA MARIAM, SCOTIÆ REGINAM, LATA.

Voluminum horum utrumq;, fœdis *Buchanani*, contra Stuartam, *calumniis*, (illi circa Darlæanam necem impactis,) inhærebat. *Poſterius* autem Opuſculum, etiam premebat agitabátque *Reginæ* decollatæ *manes*: nullâ non paginâ, *cæſum ab ea maritum*, inculcans. (258)

Hos tunc *Anglia* (qualis ea tempeſtate reperiebatur) infamiæ *conceptu* turgidos, & peſtifero *partu* latè contagioſos, codices, in transmarinas etiam provincias, & regna, (Galliam præſertim, & Belgium, earúmque terra-

terrarum viciniam) diffundebat. Gaudebat autem *Angla*; Librorum id genus, in manibus etiam versari *Germanorum* (putà, *Protestantium*): quorum, ut *Obertus* in *Vindiciis* loquitur, *judicium & opinionem, de se, bonam, præferebat Orbis reliqui totius judiciis, & opinioni*. Quo fiebat, *ut in omnibus pæne Germania* (*protestantis*) *angulis haberet* Elisabeta; *qui libellos rumorésque spargerent, contra Scotiæ Reginam*: ut eam *mariti cæsi*, cæterorúmque facinorum, probrìs incesserent, ac fœdarent. (259) Sinè controversia verò, quæ rumusculìs falsis, in *Teutonas* adversùs *Scotam* disseminatìs, gestiebat, *Elisabeta*: longè magìs éadem exsultaverit *Buchanani*, tam *Historiâ Scoticâ*, quàm illô seorsum, de cæde Darlæana, criminosissimô librô. Qui mendaciorum chartacei folles, priusquam pæne profusus Stuartæ sanguis tepefieret, bis in *Germania* prælìs heterodoxorum in lucem protrusi, circumferebantur. (260) Equidem, & hac ætate, quam degimus, ante triginta plus minùs annos, typìs Germanicìs, sed dissimulatô suppressóve locô, repetitam *Buchanani Scoticarum rerum Editionem*, haud ignoro. Sed id molestè fero: non actum cum isto

isto *Scotiæ Slejdano*, fuisse, more juréq; cæterorum Historiæ conditorum: utì nempe, sicut præfixum *Tacito*, *Sállustióq;*, cæterísq; cernitur, sic & hujc, *elogium* in fronte suum præfigeretur. quod, è *Florimundo Remondo* peti, transferríque, poterat, in hanc formam.

Georgius Buchananus, Scotus. (è cujus historia, calumniarum suarum, in Scotiæ reginam, probationes omnes Onintedi typus transsumpsit.) Hoc ego Buchananô, vel insaniorem hæreticum; vel mendaciorem Historicum; vel vaniorem, & impudentiorem, hominem, in toto terrarum orbe vix reperiri, puto. (261)

Tenemus ergò, manibúsque tangimus, Undénam emanans, & exundans, indéque per terras omnes & populos exspatians, rumor, *de Stuarta regina, ceu sui conjugis interfectrice*, mentes temerè credulorum occupârit. Nimirum: A *Principe*, sicut ævi sui *poëtarum*,ità *Deceptorum*, Buchananô, circumscribi

ſcribi Sæculum illud amabat! Sed ad *Stuartam* ipſam revertimur.

LXXIII. Hujc, *Bortónæ* (ſicut diximus) adhuc ſedenti, denſas inter excubias; oſtendere ſe ſubinde procùl, aliquot illius liberandæ rationes, ac viæ, videbantur. *Prima*, nec ea ſimulata, ſed ex incorrupta clientium ejus fide deducta, *ſpes* affulgebat *Eboracô*. Qui namque tunc, partium *Mariæ*, conſeſsum illum frequentabant; intellectâ criminum, quibus impetebatur illa, futilitate: paratos ſe demonſtrabant, & expeditos, ad ea ſingillatim, & ordinè, refellenda. Moniti quoque, *ceſsarent*, *actum agere*, foveréque cauſsam, quam *Eliſabeta*, Mariæ *Judex*, jam prædamnâſset: nihilò ſegniùs in ejus eruendæ conatu perſiſtebant; id urgentes, ut ei *præſenti*, per ſeipſam, & non per advocatos duntaxat, ſuî purgandæ copia fieret. Et ſanè, quoniam ad iſtud extremæ neceſſitatis angiportum videbat eſse ventum; gratiam eam, qualemqualem, *Stuarta* defugitura non erat. Verùm, *Minimè gentium!* (clamabant adverſarii) flexanimam illius facundiam veriti; cujus potentiæ nemo facilè fuerat reſtiturus. Idem quoque ne fieret, omni

omnî contentione pugnabat *Angla*: non disparem ob causſam. Quamobrem, captivitatis universô tempore nunquam Mariam *Elisabeta* mutuum ad conſpectum admiſit; *admirabilem oris* ejus *Suadam*, ne miteſcere cogeretur ipſa, reformidans. multò verò maximè, *ſpectari* pariter, & unà, *Reginam utramq;*, *præſente* (ſicut mos habet) *Procerum coronâ*, devitabat: credo, ne, tot teſtibus oculîs cenſoriîs, *formâ formæ* compoſitâ, ſpecies oris illa, quæ radioſior erat, maculoſiorem confunderet. In quo certamine venuſtatis, fuiſſet *inferior* ea, quæ ſe *ſuperiorem* omnibus, & ipſius *Anglorum Eccleſiæ* Caput, ferebat. In hunc ergò, quem retuli, modum, illa *prima*, libertatem recuperandi, *ſpes Stuartæ*, ſuum exitum haud invénit.

LXXIV. Secuta mox altera, *quò mendacior*, *eò damnoſior*, liberationis exſpectatio; ſcelere *Murrayi* Proregis, ingenuis omnibus candidíſque mentibus exſecrabilì. quod fuit ejuſmodi. Redierat Eboracô Londinum, ut dixi, *Norfolciæ Dux*, Thomas Havardus: è *Quæſitore* Stuartææ *cauſſæ*, factus *admirator Innocentiæ* mulieris; & ex *Admiratore* demum, honeſtus *amator*. Hic autem & jam

N ante-

Maria Stuarta.

antehac rebus *Orthodoxorum*, indiciîs ſatìs clarîs, favere deprehenſus erat: & tunc, in *Stuartam* confirmatâ non parùm benevolentiâ, de ſtudio, *noſtram in religionem*, multò minùs remittebat. Moleſtum id *Murrayo*, ſuſpectum item *Eliſabetæ*: quæ dudum aptam quampiam illius evertendi Viri, machinam, & opportunam ſtruendis ei periculis foveam, circumſpiciebat. Id eò faciebat intentiùs: quòd is, ad audendum aliquando ſublimius quiddam, invitari videbatur ab opibus, & potentiâ; nulli, poſt Reginam, inter Anglos ſecundâ. Quocirca *Murrayus*, gnarus hujus in *Norfolcium* mentis *Eliſabetæ*; cùm, proximè ſuperiore tempore, *Londinum*, ut diximus, accitus *Eboracô*, creber admodum ultro citróque curſitans, aulam, & urbem, alternîs obiret: ad *Norfolcium* repentè venit. incipítque diſſerere; *Quoniam Mariæ reginæ Bothueliiq; nuptiæ (quippe, quantùm alteram ad partem attineret, coactæ, deceptæ, multîsque titulîs vitioſæ,) repertæ ſint* irritæ; *patente nunc novum ad matrimonium portâ, quippeni* Dux, *annîs opibúsq; validus, florentem formâ generéq;* Scotiæ reginam, *ambiret? Cur non, ruptâ morâ, nec ipſam uníq; repugna-*

repugnaturam, & universâ lætaturâ Scotiâ, sibi conjungeret?

In hæc invitamenta, cùm volentem enimverò, præcupidúmque, *Norfolcium* Murrayus invenisset: validiùs insuper impellere cœpit eum; *Conciliatorem* sese nuptiarum spondens: ac pretium industriæ promissæ, statim à Duce repræsentatum, auferens; *grandem auri summam*. Sub hæc autem *Murrayus*, ut ambos pariter, & quam despondebat, & cuj sponsam offerebat, præcipites daret; cum *captivâ* quoque transigit, iterum indè *novîs* erectâ liberandæ suî *promissîs*: & ab annuente reportat, non modò *plenam (si sic divinas humanásq; per leges liceat, & commodô regnorum id fieri possit,) nuptiarum voluntatem*; sed mandata quoque, per *epistolam*, ad illos Regni Scotorum Optimates, qui pro defensione Stuartæ bellum Proregi spurio movebant: *nequid, si se salvam, si seipsos felices, velint, adversùs Murrayi quietem tentare pergant.*

Statim autem, in hæc, ad *Elisabetam* Murrayus pergit. Hujc omnia compactarum, inter *Norfolcium* & *Stuartam*, nuptiarum arcana prodit. verbîs quoq;, *Machiavelli doctrinâ*

Maria Stuarta.

tinctis, & non *Elisabetæ* minùs, quàm ipsi *spurio*, familiaribus, proponens, & exaggerans; *Universis Angliæ Scotiæq; rebus, & gubernaculis, impendentem perniciem: si Norfolcius & Stuarta connubiô, Pontificibus Romanis juratô, convenirent. cùm præsertim Stuarta, præter regiam in Scotos potentiam, Anglici quoque culminis sese jactaret Hæredem.*

Hæc, & hìs, in eundem modum, plura, deteſtabilis *Murrayus* in Anglia Scotiáque, tam ipſe per ſe, quàm illius emiſsarii, miſcuerunt, ſummam per malitiam: adeò quidem nequiter; ut Prorex ad Angliæ reginam, etiam Ducis Havardi *litteras*, nuptiarum maturationem urgentes, ac *Mariæ* reſponſa ſuper aſsenſu ſuô, vir proditor, mitteret. Ob quæ paullò pòſt, *Elisabetæ* furore, *Dux Norfolcius* in turri Londinenſi ſecurì, nullâ probabilì cauſsâ, percuſsus; *Stuarta*, Bortónæ ſuæ cuſtodiîs auſterioribus aſtricta; liberioris aëris uterque præguſtum, *ſpe* tantummodo libatum, exitiô ſuô luerunt. (262)

LXXV. Sub hæc tamen, tam triſtia, *Spei melioris* intertrimenta, levamentum aliud aperire ſe *Stuartæ-captæ* viſum eſt: quod non quidem inſigne quoddam ei, novúmq;, bonum

bonum adferret; ſed in *unius* tamen exitio capitis, ab ea plurima depulſum iri mala, polliceretur. Id, INTERITUS fuit MURRAYI ſpurii; *Proregis* quidem *Unius* Scotiæ, ſed *regnorum* interim *complurium*, & *rerum omnium*, inveterati turbatoris.

Incidit ea mors, in annum Chriſti milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum primum; diémque Januarii menſis viceſimum tertium: (263) manu *Jacobi*, gentis Hamiltoniæ, *Calviniani*; ſorore nati *Joannis Hamiltonii*, Sant-Andreani Primatis illius, & Archiepiſcopi Scotici: de quo ſuperiùs, in *Deliberatione* de fuga Stuartæ, pluribus actum eſt. Is ergò, *Calvinianus*, ut dixi, Jacobus, Jacobum Murrayum, *Calvinianum* itidem, & *Puritanorum ducem*, ad Limnúchum oppidum (264) nactus; ex inſidiis globulô plumbeô, paullò *ſub umbilicum* prope *renes* adactô, trajicit: & ictu peractô, pernícî (quem ad manum habuerat,) equô divolans; comprehenſuris ſe *Murrayi* ſatellitibus, ſubducitur.

Et *Hamiltonium* quidem hunc, ad factum id impulerant, tum *privatæ*, quas acceperat, *injuriæ*; tum *publicæ*, ſuam in gen-

tem exercitæ, ſimultates & offenſæ: quibus *Murrayus*, in *ſemiregia* præſertim *licentiá*, jam tum à prœlii *Lanſidenſis* furiîs *Hamiltonium omne nomen* ſuperſtes, tam *heterodoxum*, quàm *Catholicum*, gladiô, fugatione, vinculîs, & quæſtionibus, (265) exagitandum ſibi ſumpſerat.

At æquiores longè, quàm *Hamiltonia* domus, pœnas, *Dei manus ultrix*, expetiit, atque cepit, è *ſpurio Murrayo*: cujus in *ventrem*, & *umbilici renúmq;* viciniam, volatile direxit plumbum, eodem ipſo temporis & itineris articulô; quo, *Religionis omnis ac pietatis everſor antiquus*, novorum ſcelerum meditamentis *gravidus* incedebat: ut, *parturiens Injuſtitiam*, *conciperet dolorem*, *& páreret Iniquitatem*. (266) quippe, nec in noviſſimis adhuc deſinens eſse *blaſphemus*, & *Eccleſiæ perſecutor*. (267) Intellexerat hic, iiſdem diebus illîs, *Reginam Scotiæ*, frequentî curiæ conſeſsu, geminorum apud Londinum Ordinum-Regni ſententiîs, capitis eſse damnatam: eò, quòd in *Gallia* quondam, etiam *Anglicani regni* fuiſset *Inſignibus* uſa. Nec rumor is falſus. uſurpârat enim; & quia ſanguinis, ex Eliſabetæ patre, patríſque ſorore,

rore, proximè particeps: & quia, sic à nuru fieri, socer ejus, *Henricus II. Galliæ rex*, adegerat. Ut primùm ergò didicit *Murrayus*, In Anglia capitis damnatam *Stuartam*, *suam utcunque sororem*, ac certè *Reginam*; indignans stomachabatur, nondum etiam esse morte sublatam. Id autem ut primô quôque tempore, vel *Elisabetæ* fieret, vel *suísmet* ipsius imperiîs avebat. Aliâ præterea quadam, de *puero* Rege, manibus *Elisabetæ* tradendô, cogitatione pessimâ plenus; eádem ipsâ tunc, novissimâ sibi viâ, Spurius incedebat. cùm, ecce! nec opinatò ferîtur. (268). O, factum *bene!* si *meliore* ferientis mente, legúmque viâ!

LXXVI. Cæterùm, à plaga *Murrayus* acceptâ, quoniam *lethalis* ei nondum videbatur, hospitio se commisit. At, malô doloréque crescente; priusquam ejus diei *nox media* superveniret, (269) *noctem æternitatis* ingressus, exhalavit. quânam verò mentis, ad mortem, compositione, mirum quantum, *nostri* variant, & *à nobis aversi*, scriptores: in contraria prorsus abeuntes. geminæ verò præsertim gentis, historiæ conditores: *Gallicanus*, & *Scotus*. Utrumque, juverit, audire.

Maria Stuarta.

Gallus, ísque *florentis* famæ nominísque ſcriptor, *Murrayum*, ait, *Percuſsum*, *paucîs*, *quibus ſuperfuerit*, *horîs*, *nullo prodito pœnitentiæ ſignô* (cur enim *pœnitudine* ſe *Puritanus* affligeret, apud ſe *Sceleris purus*; &, in Chriſtum fide, cœli poſſidendi certus?) *nec invocatô divinô nomine*; *ſed multîs profusîs blaſphemiîs*, *exſpirâſſe tandem*; *illa*, *ſacrîs è bibliis detorta verba*, *per abuſum ſacrilegum*, *antequam obiret*, *crebrò repetentem*; EX EIS EGO (*Pontificiîs*? an verò potiùs, *Hamiltoniis*?) MINGENTEM AD PARIETEM SUPERESSE NON PERMITTAM. (270) Imminente demum *agone vitæ* ſupremô, *totus* (inquit ille) *verſus in furorem*; *& horribilibus phantaſmatîs*, *ut*, *qui cum Sathana rem habuiſſe credatur*, *agitatus*: *ſæpius* Ice, *vociferatus*, Ice! *verba frequentare non deſiit*, quibus, in animi ſumma perturbatione, ſolent uti Scoti. Sic vixiſse, ſic mortuum eſse, miſerum illum *Murrayum*, concludit; *præcipuum eorum*, *quæ toto commiſsa regnô ſunt*, *Sacrilegiorum auctorem*, *& Catholicæ religionis extirpatorem*. Addit his; *Jacobi Murrayi* nomen, à *Proteſtantibus* hæreticis *Martyrum albo* confeſtim inſer-

insertum. quo nimirum exemplô *Cainitæ* sectarii *Cainum* olim; aliæ *Novatorum* fæces, *Judam Iscarioten* proditorem, in *Divos* rescripserunt. *Murrayus* verò, super hæc, & *Mausoléum*, à suis, *magnificum* accepit: *qui sepulcra majorum* (inquit) *& monumenta tot piorum, totâ vitâ suâ, destruere satagebat.* Hæc de *Murrayi* Proregis extremîs, *Celticus* Actorum ille compositor: (271) quibus, ex omni parte contraria, *Scoticus* hæc opponit.

Obortô paullatim, post vulnus acceptum, dolore, *Proregem Murrayum*, animô *nihil omnino turbatum*, de morte cogitare cœpisse. dicentibus, qui circumstabant eum, Ipsum exitium sibimet nimiâ suâ lenitate peperisse, leniter (ut soleret) respondisse; Nunquam eos illuc, importunitate suâ, rem deducturos, ut ipsum clementiæ suæ pœniteat. Post hæc, de suprema voluntate sua mandatis relictîs, & puero Rege Proceribus, qui præstò tunc essent, commendatô, *Nullum in quenquam verbum asperius locutum, decessisse; morte, bonis omnibus luctuosâ* (quos inter & *Scotus* hic scriptor fuit, bipedum omnium pessimus,) *propter plurima, per eum præclarè gesta: résq;*

N 5 *passim*

Maria Stuarta.

passim antea turbatas, ab eo regnô totô compositas: ut, cuj divina quædam Providentia, negotiis in omnibus, adfuisse videretur. Cujus domus, velut sanctissimum Sacrarium, non solùm à flagitiis, sed verbis etiam petulantioribus, pura fuerit: à prandiis nempe cœnisque biblicô semper aliquo capite, palàm lectô, refici docerique sueta. Summatim! Hìs *Murrayum moribus, & Innocentiâ vitæ, non civibus modò, sed exteris etiam nationibus, & carum & venerabilem fuisse.*

Laudes hæ sunt *spurii* Proregis *exsequiales*. Sed scilicet, abunde culpatus est; qui *talis*, & *à tali*, sic laudatus. Est enim hic ejus præco, *Buchananus*: (272) Is, inquam, qui de Scotiæ *secundô* quoque, post Murrayum, *corruptore*, pestéque, *Joanne Knoxio*, Murrayi quondam, ad Elisabetæ reginæ commendationem, potissimô depravatore, (273) nunquam, nisi perhonorificè, loquatur. *Knoxio*, dico; cuj, quisquis fractum & obtortum ab *Asmodæo* caput tradiderit, narrationis suæ facilè fidem invenerit: *Knoxio*, qui Satyrâ publicâ Scotos & Anglos in cædem *Anglorum* Reginæ, *Mariæ*, plusquam semel instigârit: *Knoxiô*, qui, Calvini quondam Gene-

Genevæ diſcipulus, abjectô *monachiſmi* cucullô, non contentus unâ thalami ſociâ, ſuámmet inſuper *novercam* inceſtârit: fugeréque propterea coactus in Angliam, ex ea poſt aliquantum temporis redierit; *quatuor concubinarum* puellarî comitatu, palàm ſtipatus, & conſpicuus. (274) Qui talem hunc *laudare* potuit (ut certè laudavit); is, per me licebit, celebrârit & vitam, mortémque *Murrayi*, facinoroſus *Buchananus*.

LXXVII. Cæterùm *Murrayanæ* cædis allatus in *Angliam* nuntius, & graviter *Eliſabetam* perculit reginam; & *Mariam Stuartam*, hìc quoque deceptâ ſpe, malis nihilô levavit: immò graviùs etiam, ab eo maximè tempore, lancinare cœpit.

Prædamnata *Parlamenti* (ſicuti Murrayo per Epiſtolam *Eliſabeta* jactârat) decretô, quo minùs illico tolleretur è medio miſera; ſolius id ferebatur Gallorum regis reverentiæ, (quippe, cuj junctam affinitate Stuartam, conſtaret,) ac publico famæ reſpectui, tributum fuiſse. Ne tamen non *novis* interea liberationis *illecebris* captivam, ſæva dominatrix, ludificaretur: has ad *Mariam*, adhuc Bortónæ ſedentem in cuſtodia, dimiſſionis condi-

Maria Stuarta.

conditiones *Elisabeta* misit; quas ipsi, decem plus minùs *armatorum millibus* stipatus, Londinô *Comes Sussexianus* attulit, atque recitavit, in hæc verba.

Maria Stuarta, reginam Anglorum, Elisabetam, utì sê Superiorem, agnoscito. Scotiæ totius arces, & loca firmiora, gentis Anglicanæ potestati permittito. Filium Jacobum, cum proceribus, ab Elisabeta designandîs, obsides tradito. Memoriam, adversùs se vî gestorum, ipsa per amnestíam abjicito. Fœderibus transmarinis repudium mittito. Romanensem deniq; Religionem ejurato!

Cùm in hæc omnia MARIA, potissimùm autem in *prima duo*, *postremúmque*, postulata, responderet illâ *Laconismi* brevitate, qua *Philippo Macedoni* quondam Spartiatæ,

tiatæ, *negationis* adverbiô, (275) ſicuti decebat *invictam* malîs heroidem; ídque *Suſſexius* Eliſabetæ renuntiâſset: ex eo temporis veſtigio mulier ſanguinaria cognatam & hoſpitam, quam ſecum ipſa *Ream mortis* peregerat, *in mortem*, inexorabilî decretô protrudendam dare, (276) cogitavit. Et dedit.

Sed, ut per *gradus* quodammodo, lentósque paſsus, eam, à paullò mitioribus cruciandi generibus, ad noviſſimum denique pœnarum deduceret: *Bortóna* translatam, propiùs aliquantò *Londinum* versùs trahendam curavit. At, necubi locorum *uni cuipiam*, aut colonis illius, per moræ diuturnitatem, *Stuarta* familiariùs inſuefieret, unde tandem elabendi facultatem inveniret; alium ex alio carcerem, tanquam per auræ ſalubrioris cauſsam, ei callida mulier excogitatum, aſſignavit. Obſervatum à nonnullis eſt; *Mariam*, cùm *annis viginti* circiter continuîs, ad obitum uſque, captivitatis mala tolerâſſet; malorum non poſtremum cenſere potuiſse ludibrium regiæ ſortis illud: quòd à Lævini lacûs illâ, de qua ſuperiùs dictum eſt, cuſtodiâ, per *carceres* facilè *ſexdecim* circumtracta fuerit: donec in poſtremo decimum,

Maria Stuarta.

mum, quem habuit *Fodringhámi*, (castellô validô firmôque,) desedit. (277) Quo toto *libertatis*, per summam ipsi perfidiam ademptæ, *vicennî* velut *exiliô*, cùm universa pariter ei præcisa facultas esset, per publica privatáque *Sacra* quævis, & per alia *Catholicæ* pietatis officia, majorum suorum *Religionem* imitatione declarandi: nec *se* tamen, in abdito mentis, & penetralium suorum, nec *eos*, quibuscum agebat, (si cerneret habiles, ac talium capaces,) deseruit: quò minùs in cœlo cogitationibus assiduîs, & *ipsa* versaretur; & *aliorum* animos eodem illuc, instructione suavî, vocaret, ac persuasione denique potenti pertraheret. Cujus, in hoc genere sermonum, quanta vis fuerit; inter eos, quos, Galvini laqueîs irretitos, ipsa, captiva licèt, institutionibus suîs expedivit, & Veritati reddidit, nonnemo testatus est. qui, non sinè gratæ mentis affectu singularî, prædicare solebat; *Se* (reddam enim rem ipsiúsmet illius verbîs) *Se*, *quoties hæc Regina rem ageret Ecclesiæ, quodam velut ore* DEI *loqui solitam; ità verba vestientem, non flore sermonum, sed vî SPIRITUS: ut*, DEUM *quoties nominaret, toties audientis sensibus intimis eundem imprimeret.* (278) In

Appendix, ad Annum 1614.

In *Cœlo* verò *Maria*, quàm altè fixis desideriîs habitaret, etiam in turrium angulis, custodiísque, sedens; patuit ex eo quoque, quòd spem regnorum, Anglicani pariter & Scotici, plusquam semel oblatam, ab importunis ad *defectionem* sollicitatoribus, *Si Sacris Catholicis nuntium remitteret*, magnificîs ipsa vocibus excusserit, ac respuerit: professa palàm, atque liberè; TANTI SIBI NON ESSE, *terrarum etiam omnia Regna, pro quorum possessione, sit Unius regni Cœlestis subitura damnum, & jacturam*. (279)

LXXVIII. Inter hæc, quæ *Caroli IX. Gallorum regis* reverentiâ quadam, & nonnullo metu, manus *Elisabeta* tantisper cohibuerat, à *Maria Scotâ*, neci dandâ; postmodum, eô vivis exemptô, minùs éadem *Henricum III.* verita, *Caroli* successorem; nec multùm illius ad se legatione *Bellieuraá*, super *Stuartæ* salute, mota: sub anni demum, supra millesimum, quingentesimum, octogesimi sexti *mensem Sextilem* inchoatum, (280) inter pauciores (sed intimi consilii) secretorum arbitros, constituit, *Occidere tandem aliquando, tot annorum inveteratam captivam, Scotam*. Emanabant autem sensim etiam forâs,

Maria Stuarta.

foràs, eam *occidendi* (ſicut ipſa nominare conſuêrat) *neceſſitudines urgentes*: quæ rerum æquis æſtimatoribus appellabantur *Cauſſarum non-Cauſſarum* mormolycia, (281) formidinúmque vana figmenta. Proferebantur, adversùs *Stuartam*, utì *capitales*, partim næniæ quædam veteres; aliæ partim, per calumniam non diſparem, recentiùs excogitatæ.

Nixam aviæ paternæ, quæ ſoror Henrici fuiſſet Octavi, cognatione; jam olim, ſupra titulos & Inſignia Scotiæ Franciæq; Regnorum, Angliæ quoque Regiam, prælatîs ab ea nominibus & Imaginibus, invaſiſſe. Quod illa, quónam compellente fecerit; & dictum ſuperiùs eſt; & dici pluribus hôc quoque locô, ſi res exigeret, poſſet: eò potentiùs, quòd etiam *Eliſabeta*, jam tum, & *Pontificiîs* edictîs, & *Anglorum* ſupremæ *curiæ decretô*, declarata Regis Henrici *proles-illegitima* (282); nihilò ſegniùs tamen, & Angliæ ſe Reginam, & Hiberniæ, prætereáq; Franciæ quoque, gerere ſit auſa: quin & *Fidei Defenſatricem* (283), *Anglicanæq; Caput Eccleſiæ*, jactare ſeſe perſeverârat.

Darlæum maritum, ejus operâ conſiliôve ſublatum, Anglorum Reginæ propinquum.

Quod,

Appendix, ad Annum 1614.

Quod, plurimorum stylô confossum, retortúmque, crimen, etiam in superioribus; perrexit tamen *Elisabeta*, tum ipsa per se, tum per mercenarios suos nugarum compositores, propagare.

Non contentam Darlæi cæde, Scotam; *insidiîs* insuper, *Elisabetæ tam Coronam, quàm Caput & vitam, appetiisse.* Cujus tamen sceleris, nec ullam unquam admissam in animum suum cogitationem fuisse, *Stuarta* sacrosanctîs Evangeliorum paginîs geminô digitô contactis, persanctè juravit. (284)

Exploratum satìs, & compertum esse, *Nobilitatis etiam Anglicanæ Pontificiarum partium, in procinctu clam palámve stare; qui, correptîs armîs, & in custodiam Fodringhamianam irruptione factâ, Scotam ereptum eant: aut, in apertum eductîs copiis, causâ libertatis ejus, & evectionis ad regnum, acie decertent.* Nesciebat hæc, aut fieri *Stuarta*, quæ *fiebant*; aut postea quoque *futura*, quæ facta revera sunt. Nec iis ipsa, vel mandatum ullum, vel instinctum, stimulúmve, sive dolum, suppeditârat. Voluntarii fuerant omnes; & reginæ, tam indigna, tam diu, tolerantis, dignitate miseratione̋que permoti,

O *Catho-*

Maria Stuarta.

Catholicæ plerique (si non universi) prosapiæ juvenes, & heröes. In his, *Antonius Babingthonius*; qui, liberandæ reginæ Scotorum, conjurationem fecerat Anglorum: sed destinatione suâ dejectam. Post hunc, autumnô demum ejus ipsius anni, qui Reginæ fatalem annum antecessit, majore, tum exercitu peditum equitúmque, tum fortalse conatu quoque, quàm Babingthonius, *Comites quatuor*, ad restituendam regno, libertatíq;, *Scotam*, vires animósq; sociârant. Hi (sicut Remondus, octavô decimô capite libri sexti, memorat) Comites erant, Arondelianus, Pembrochianus, Northumbrius, ac Westmorlandianus. qui, cœpta *Babingthoniana* prosecuturi, successu tamen nihilô secundiore fuerunt usi; DEO providentissimô *Mariæ* libertatem, & *Regnum*, alibi felicius stabiliúsque, quàm in *Albióne*, (285) præparante.

Procedebant hi tamen, ac similes alii, regnorum motus, (quantumvis extra *Stuartæ*, tam noxam, quàm conscientiam, excîti,) non minùs in invidiam, numerúmque criminum, quibus hæc incessebatur: ac si vel maximè suámmet ipsa manum eis, auctoritatémque, commodâsset. Quò pertinebant & illa

& illa formidinum, terrorúmq; panicorum, crepitacula: *Quòd Stuartæ vinculis (tanquam Regum orthodoxorum omnium in iis caussa communis ageretur,) intercedere litterîs ac legationibus satagerent, Reges Galliarum; Rex Hispaniarum, Philippus II.* (286) : *regii sanguinis, & Insignium, Gvisiana, cæteráq; Lotharinga Domus. Quòd, super hæc, & ipsa, præ cæteris Christianismi culminibus, Roma, Piô Quintô, Gregorióq; Decimotertiô, motoribus, cœlum pro Stuartâ terrásq; suscitando, laboráret. Quòd item vulgò passímq; Catholici, cumprimis autem Insulæ cultores, eam, tanquam aliquando dominaturam sibi, jam tunc ominibus faustîs prosequerentur. in templis, ejus caussâ, publicô concordíq; conventu, passim supplicarent: ad aras, & simulacra, vota nuncuparent. Quæ talia, taliúmque non dissimilia plura, quorsúmnam aliò cuncta tendere; nisi, quò Maria, receptâ libertate, quàm primùm & ubiq; regnet? Elisabeta, regnîs, & vitâ, quàm celerrimè decedat?*

LXXIX. Quid autem (rogo) quid in his omnibus peccabat, aut, novissimîs persequendum exemplîs, *Scota* delinquebat? Nisi fortè, quòd piorum omnium *Amor pu-*

blicus esset *Maria* : propudium, & *horror*, & odium, *Elisabeta?* *MORIne quisquam debet idcirco, quia diligitur? aut ideo vivere diutissimè, quia quotidie palámque devovetur?* Finge quoq;, *Profugii* (siquis carcerem ei patefecisset) facultatem, *Stuartæ* non fuisse displicituram. Quid morte dignum in hoc admissura fuerat? quî magìs necari meruisset, quàm avicula quævis Canarîna, vel Philippîna, laxatîs caveæ clathrîs avolitans? aut *Jureconsultus*, effugium crimine vulgò vacare, pronuncians; eôque placitô, vinctis fugam suggerens? dum, *Libertatem omnî*, clamat, *æstimatione superiorem* (287); dum, *æstimationem ejus infinitam* esse, decernit: (288) *dum, rebus omnibus esse favorabiliorem*, definit. (289) Id, quod & *Elisabeta* quondam ipsa sensit; quo tempore, Londinensî clausa custodiâ, supplicium à sororis sententia novissimum, pro meritis, exspectârat: quæ Philippi tamen, Hispani regis, pro se precibus condonata, securim fatalem evasit. (290)

Quid erat igitur? aut, In quónam *Stuartæ* facinore, *Capital* hærebat; cujus caussâ decerneret Elisabeta, *Dignam eam, quæ vivis ejiceretur?* Quæ namq; prolata modò sunt au

aut *nulla* fuerant, aut humiliùs ſuper terram incedentia: ſicutì nebulæ quædam, ac vapores antelucani; qui, radiô ſolarî ſuperveniente, confeſtim evaneſcunt. Afferendum ergò *Sublimius* erat aliquid, ac *Solidius*, quod pateretur; ſicut, ſupra ſe natare frondatoris illius *ferrum*, aqua *Jordanis*, (291) ità ſupra Stuartæ *limpidam Innocentiam*, Eliſabetæ *feralem aſciam* aſcendere. quod aliud non erat, quàm totius Cauſsæ Stuartææ *collum* & *jugulum*; quod in hac Regina petebatur, ac premebatur: *Catholicæ*, putà, *Religionis eminentiſſimum ſtudium*, & ardor indomabilis.

Hôc illa flagrabat, *in ſe* primùm *ipſâ*, mirandum in modum; utì partim ex iis, quæ diversîs ſuperiùs occaſionibus indicavimus, duci conjectura poteſt: partim autem, & evidentiùs, ex eo demonſtrari; quòd, *in ea* (ſicut verè dixit, illius Innocentiæ propugnator, *Romualdus* Scotus), *vel morti, vel Calvino, tradendâ, ſolidîs novemdecim annîs laborârint Angli*. cui mortem illi quidem intulerint; ſed *Calvinum ei non perſuaſerint*. (292) *Firmitas* hæc erat *Stuarta*, quam intrà ſeipſam illa, *ſibiq; propriam*, tenebat.

Maria Stuarta:

In *aliis* autem, (nec id viritim tantùm, aut per ſingulos, ſed *univerſim*,) provinciis ac Regnîs integrîs, *Orthodoxo* nitori reddendîs; paſſim inter *ſectarios* differebatur *Maria Scotorum* hæc, ut *Zelotica* Mariæ, reginæ nuper Anglorum, *imitatrix* futura: nec ovum ovo ſimilius ullum fore, quàm *hanc Papanam illi Papanæ*: ſiquando, citiùs tardiúsve, Scotiæ pariter & Angliæ, contingeret eam dominari; jure ſanguinis, quo ſucceſsura foret Eliſabetæ. Tum enim, uno *Pontificiæ Reformationis* turbine, Scotiam, Angliam, Hiberniam; tum, Orcadas, & Hébridas, Inſulas perculſas, *Romanæ* denuò dictaturæ ſuccubituras. Nec id tacitum (ut alibi ſuperiùs inſperſi) *Scota* tenebat: ingenuè profeſsa; *Regimen quodcunque ſibi plenô ſummôque jure divinitus obtingeret; id è norma ſtateràque Religionis-majorum à ſe libratum iri. Rerum mortalium has eſſe leges, hunc ordinem; Homines ut ſubſint Regibus, Reges Deo: DEUS autem ut ſanctè colatur, ac ritu Sacrorum priſcô. novitates antiquentur.*

LXXX. Hic igitur, hic ipſe, *Religionis ſacræ* fervens Amor, *Stuartam*, ſuapte bonitate, malitiâ tamen alienâ, mori coëgit. Nec

Nec id diffiteri, si modò constare sibi velint, possunt hostes, judices, accusatores, heroidis istius. *Hostis*, Buchananus; nihil crebriùs, aut acerbiùs, in ea sugillans, quàm *Missæ Papismiq;*, proruptorum in tyrannidem aliquando, studium. *Judex*, Cantii Comes; exclamans in consessu, *Disputatricis pro Religione sua Scotæ Vitam diuturniorem, futuram fuisse Reformatæ doctrinæ Mortem.* (293) Demũ, *Accusator*; qui simùl & Advocatus, ac *Prolocutor* (utì vocabant) *Inferioris Aulæ Parlamenti*, Puckeringius. Hic, annô supra millesimum quingentesimum octogesimum sextô, Richmundiæ, die Novembris duodecimô, *Stuartæ necem* argumentîs urgebat, & populi sectarii vocibus: omnî contentione conatus evincere, *Supplicium ejus, & mortem, Elisabetæ rebus ac regnis esse necessariam.* Id autem, *eô cumprimis nomine; Quòd esset à teneris instituta Catholicorum ritibus, ac dogmatibus: &, Catholicarum se partium etiamnum ferre, non desineret.* (294) Cujus *Puckeringii* deinde premens mentem, ac vestigia, *Stuartæ Supplicii NARRATIO*, Londini vulgata, disertìs insuper verbis arguit, in MARIA Scotâ; *Firmâsse sententiam; & in*

Maria Stuarta

id unum eam, immobili decretô, tetendisse semper; nec abstituram unquam: quin, in regnum utrumque, cultum sacrorum Pontificium, si præsit, reducat: persuasione mentis, in omnem certitudinem solidatâ, *Sic Immortale se Regnum habituram, etiam in Cœlo.* Summam igitur criminum ejus, in *immobilitate* consistere *voluntatis, Romanensium institutis affixæ. S. II salvæ leges ergò debeant esse Britanniæ; pereundum esse legirupis.*

Quod autem huic *Supplicii narratori* Londinensi, quódque *Packeringio*, Londiníq; maximæ parti, tam altè sederat animo, *Tollendam* ob eas, quas attuli, caussas è medio *Stuartam* esse: multò profundiùs idem ipsum hærebat in pectore potiorum *Elisabetæ* consultorum: qui cæteros, & maximè populum, adversùs *Scotam* exasperârant; tanquam certissimè (siquando succederet Elisabetæ) sacra juráque *Papâna* reducturam. ideóque, conferri quoque stipendia, Belgicam in militiam, Anglis tunc incumbentem, vetuerant: nisi priùs *pactô* Stuartææ necis rebus ipsîs repræsentatô. Ferebantur autem id ii potissimùm ardentiùs urgere, qui sibi, capitíque suo, metuebant; si caussa *Stuartæa*, quam ipsi

ipſi jam capitis condemnâſsent, prævaleret: viri, *Mariæ* præ cæteris infenſi, ſtylôque Romualdi Scoti, Stradæq; perſtricti; *Leceſtrius*, *Cicillius*, *VValſinghamus*: ſi non & *Bacónus*, *Bramlaus*, *Hattónus*, *Blontus*, *Craunlaus*: & aulæ penetralium indigenæ cæteri. Sed nos ad *Eliſabetæ* revertimur, adversùs *Mariam Scotam*, Acta.

LXXXI. Tantô, tum ſuæmet mentis, tum Angliæ Scotiæque rebellium, in necem *Stuartæ* conſenſu ſtimulata, nihilque jam in poſterum diſſimulanter, aut civiliter, agendum in eam, *Angla* rata: per contumeliæ quoſdam, aſperiorisque tractationis, gradus, ſic è vita cœpit eam extrudere: *quò*, *ſe mori*, *ſentiret*.

Anni, quem ſæpius memoravi, ſæculi ſuperioris octogeſimi ſexti, menſe Sextili, die menſis ejus *undecimo*, qui Divæ *Suſannæ Martyri* ſacer erat, cuſtodiæ *Fodringhamææ* vigiliis, & arci, præpoſitus, *Paulétus Amia*, (295) primum impetum in miniſteria fecit captivæ: quorum alia fugavit; alia, ſemotas in cuſtodias conjecit: *Eliſabetâ* mandante. Petenti verò *Reginæ*, conferre verba, ſuper neceſsariis quibuſdam, cum eo, quem *à ſecretis* habue-

foràs, eam *occidendi* (ſicut ipſa nominare conſuêrat) *neceſſitudines urgentes*: quæ rerum æquis æſtimatoribus appellabantur *Cauſsarum non-Cauſsarum* mormolycia, (281) formidinúmque vana figmenta. Proferebantur, adversùs *Stuartam*, utì *capitales*, partim næniæ quædam veteres: aliæ partim, per calumniam non diſparem, recentiùs excogitatæ.

Nixam aviæ paternæ, quæ ſoror Henrici fuiſset Octavi, cognatione; jam olim, ſupra titulos & Inſignia Scotiæ Franciæq; Regnorum, Angliæ quoque Regiam, prælatîs ab ea nominibus & Imaginibus, invaſiſſe. Quod illa, quónam compellente fecerit; & dictum ſuperiùs eſt; & dici pluribus hôc quoque locô, ſi res exigeret, poſset: eò potentiùs, quòd etiam *Eliſabeta*, jam tum, & *Pontificiîs* edictîs, & *Anglorum* ſupremæ *curiæ decretô*, declarata Regis Henrici *proles-illegitima* (282); nihilò ſegniùs tamen, & Angliæ ſe Reginam, & Hiberniæ, prætereáq; Franciæ quoque, gerere ſit auſa: quin & *Fidei Defenſatricem* (283), *Anglicanæq; Caput Eccleſiæ*, jactare ſeſe perſeverârat.

Darlæum maritum, ejus operâ conſiliôve ſublatum, Anglorum Reginæ propinquum. Quod,

Appendix, ad Annum 1614.

Quod, plurimorum ſtylô confoſsum, retortúmque, crimen, etiam in ſuperioribus; perrexit tamen *Eliſabeta*, tum ipſa per ſe, tum per mercenarios ſuos nugarum compoſitores, propagare.

Non contentam Darlæi cæde, Scotam; *inſidiîs* inſuper, *Eliſabetæ tam Coronam, quàm Caput & vitam, appetîſse.* Cujus tamen ſceleris, nec ullam unquam admiſsam in animum ſuum cogitationem fuiſse, *Stuarta* ſacroſanctîs Evangeliorum paginîs geminô digitô contactis, perſanctè juravit. (284)

Exploratum ſatìs, & compertum eſse, *Nobilitatis etiam Anglicanæ Pontificiarum partium, in procinctu clam palámve ſtare; qui, correptîs armîs, & in cuſtodiam Fodringhamianam irruptione factâ, Scotam ereptum eant: aut, in apertum eductîs copiis, cauſsâ libertatis ejus, & evectionis ad regnum, acie decertent.* Neſciebat hæc, aut fieri *Stuarta*, quæ *fiebant*; aut poſtea quoque *futura*, quæ facta revera ſunt. Nec iis ipſa, vel mandatum ullum, vel inſtinctum, ſtimulúmve, ſive dolum, ſuppeditârat. Voluntarii fuerant omnes; & reginæ, tam indigna, tam diu, tolerantis, dignitate miſerationéque permoti,

Maria Stuarta.

Catholicæ plerique (si non universi) prosapiæ juvenes, & heröes. In his, *Antonius Babingthonius*; qui, liberandæ reginæ Scotorum, conjurationem fecerat Anglorum: sed destinatione suâ dejectam. Post hunc, autumnô demum ejus ipsius anni, qui Reginæ fatalem annum antecessit, majore, tum exercitu peditum equitúmque, tum fortalse conatu quoque, quàm Babingthonius, *Comites quatuor*, ad restituendam regno, libertatíq;, *Scotam*, vires animósq; sociârant. Hi (sicut Remondus, octavô decimô capite libri sexti, memorat) Comites erant, Arondelianus, Pembrochianus, Northumbrius, ac Westmorlandianus. qui, cœpta *Babingthoniana* prosecuturi, successu tamen nihilô secundiore fuerunt usi; DEO providentissimô *Mariæ* libertatem, & *Regnum*, alibi felicius stabiliúsque, quàm in *Albióne*, (285) præparante.

Procedebant hi tamen, ac similes alii, regnorum motus, (quantumvis extra *Stuartæ*, tam noxam, quàm conscientiam, excîti,) non minùs in invidiam, numerúmque criminum, quibus hæc incessebatur: ac si vel maximè suámmet ipsa manum eis, auctoritatémque, commodâsset. Quò pertinebant

& illa

& illa formidinum, terrorúmq; panicorum, crepitacula: *Quòd Stuartæ vinculis (tanquam Regum orthodoxorum omnium in iis caussa communis ageretur,) intercedere litterîs ac legationibus satagerent, Reges Galliarum; Rex Hispaniarum, Philippus II.* (286): *regii sanguinis, & Insignium, Gvisiana, cateráq; Lotharinga Domus. Quòd, super hæc, & ipsa, præ cæteris Christianismi culminibus, Roma, Piô Quintô, Gregorióq; Decimotertiô, motoribus, cœlum pro Stuartâ terrásq; suscitando, laboraret. Quòd item vulgò passímq; Catholici, cumprimis autem Insulæ cultores, eam, tanquam aliquandò dominaturam sibi, jam tunc ominibus faustîs prosequerentur. in templis, ejus caussâ, publicô concordiq; conventu, passim supplicarent: ad aras, & simulacra, vota nuncuparent. Quæ talia, taliúmque non dissimilia plura, quorsúmnam aliò cuncta tendere; nisi, quò Maria, receptâ libertate, quàm primùm & ubiq; regnet? Elisabeta, regnîs, & vitâ, quàm celerrimè decedat?*

LXXIX. Quid autem (rogo) quid in his omnibus peccabat, aut, novissimîs persequendum exemplîs, *Scota* delinquebat? Nisi fortè, quòd piorum omnium *Amor pu-*

Maria Stuarta.

blicus eſset *Maria* : propudium, & *horror*, & odium, *Eliſabeta?* *MORIne quiſquam debet idcirco, quia diligitur? aut ideo vivere diutiſſimè, quia quotidie palámq; devovetur?* Finge quoq;, *Profugii* (ſiquis carcerem ei patefeciſset) facultatem, *Stuartæ* non fuiſse diſplicituram. Quid morte dignum in hoc admiſsura fuerat? quî magìs necari meruiſset, quàm avicula quævis Canarîna, vel Philippîna, laxatîs caveæ clathrîs avolitans? aut *Jureconſultus*, effugium crimine vulgò vacare, pronuncians; eôque placitô, vinctis fugam ſuggerens? dum, *Libertatem omnî*, clamat, *æſtimatione ſuperiorem* (287); dum, *æſtimationem ejus infinitam* eſse, decernit: (288) *dum, rebus omnibus eſse favorabiliorem*, definit. (289) Id, quod & *Eliſabeta* quondam ipſa ſenſit; quo tempore, Londinensî clauſa cuſtodiâ, ſupplicium à ſororis ſententia noviſſimum, pro meritis, exſpectârat: quæ Philippi tamen, Hiſpani regis, pro ſe precibus condonata, ſecurim fatalem evaſit. (290)

Quid erat igitur? aut, In quónam *Stuartæ* facinore, *Capital* hærebat; cujus cauſsâ decerneret Eliſabeta, *Dignam eam, qua vivis ejiceretur?* Quæ namq; prolata modò ſunt; aut

aut *nulla* fuerant, aut humiliùs super terram incedentia: sicutì nebulæ quædam, ac vapores antelucani; qui, radiô solarî superveniente, confestim evanescunt. Afferendum ergò *Sublimius* erat aliquid, ac *Solidius*, quod pateretur; sicut, supra se natare frondatoris illius *ferrum*, aqua *Jordanis*, (291) ità supra Stuartæ *limpidam Innocentiam*, Elisabetæ *feralem asciam* ascendere. quod aliud non erat, quàm totius Caussæ Stuartææ *collum & jugulum*; quod in hac Regina petebatur, ac premebatur: *Catholicæ*, putà, *Religionis eminentissimum studium*, & ardor indomabilis.

Hôc illa flagrabat, *in se* primùm *ipsâ*, mirandum in modum; utì partim ex iis, quæ diversîs superiùs occasionibus indicavimus, duci conjectura potest: partim autem, & evidentiùs, ex eo demonstrari; quòd, *in ea* (sicut verè dixit, illius Innocentiæ propugnator, *Romualdus* Scotus), *vel morti, vel Calvino, tradendâ, solidîs novemdecim annîs laborârint Angli*. cui mortem illi quidem intulerint; sed *Calvinum ei non persuaserint*. (292) *Firmitas* hæc erat *Stuartæ*, quam intrà seipsam illa, *sibiq; propriam*, tenebat.

In *aliis* autem, (nec id viritim tantùm, aut per ſingulos, ſed *univerſim*,) provinciîs ac Regnîs integrîs, *Orthodoxo* nitori reddendîs; paſſim inter *ſectarios* differebatur *Maria Scotorum* hæc, ut *Zelotica* Mariæ, reginæ nuper Anglorum, *imitatrix* futura: nec ovum ovo ſimilius ullum fore, quàm *hanc Papanam illi Papanæ*: ſiquando, citiùs tardiúsve, Scotiæ pariter & Angliæ, contingeret eam dominari; jure ſanguinis, quo ſucceſsura foret Eliſabetæ. Tum enim, uno *Pontificiæ Reformationis* turbine, Scotiam, Angliam, Hiberniam; tum, Orcadas, & Hébridas, Inſulas percuſſas, *Romanæ* denuò dictaturæ ſuccubituras. Nec id tacitum (ut alibi ſuperiùs inſperſi) *Scota* tenebat: ingenuè profeſsa; *Regimen quodcunque ſibi plenô ſummôque jure divinitus obtingeret; id è norma ſtaterâque Religionis-majorum à ſe libratum iri. Rerum mortalium has eſſe leges, hunc ordinem; Homines ut ſubſint Regibus, Reges Deo: DEUS autem ut ſanctè colatur, ac ritu Sacrorum priſcô. novitates antiquentur.*

LXXX. Hic igitur, hic ipſe, *Religionis ſacræ* fervens Amor, *Stuartam*, ſuapte bonitate, malitiâ tamen alienâ, mori coëgit.

Nec

Nec id diffiteri, si modò constare sibi velint, possunt hostes, judices, accusatores, heroidis istius. *Hostis*, Buchananus; nihil crebriùs, aut acerbiùs, in ea sugillans, quàm *Missæ Papismiq;* proruptûrum in tyrannidem aliquando, studium. *Judex*, Gantii Comes; exclamans in consessu, *Disputatricis pro Religione sua Scotæ Vitam diuturniorem, futuram fuisse Reformatæ doctrinæ Mortem.* (293) Demũ, *Accusator*; qui simùl & Advocatus ac *Prolocutor* (utì vocabant) *Inferioris Aulæ Parlamenti*, Puckeringius. Hic, annô supra millesimum quingentesimum octogesimum sextô, Richmundiæ, die Novembris duodecimô, *Stuartæ necem* argumentîs urgebat, & populi sectarii vocibus: omnî contentione conatus evincere, *Supplicium ejus, & mortem, Elisabetæ rebus ac regnis esse necessariam.* Id autem, eô cumprimis nomine; *Quòd esset à teneris instituta Catholicorum ritibus, ac dogmatibus: &, Catholicarum se partium etiamnum ferre*, non desineret. (294) Cujus *Puckeringii* deinde premens mentem, ac vestigia, *Stuartæ Supplicii NARRATIO*, Londini vulgata, disertîs insuper verbis arguit, in MARIA Scotâ; *Firmâsse sententiam; & in*

Maria Stuarta

id unum eam, immobili decretô, tetendisse semper; nec abstituram unquam: quin, in regnum utrumque, cultum sacrorum Pontificium, si præsit, reducat: persuasione mentis, in omnem certitudinem solidatâ, *Sic Immortale se Regnum habituram, etiam in Cœlo.* Summam igitur criminum ejus, in *immobilitate* consistere *voluntatis, Romanensium institutis affixa. S.I. salva leges ergò debeant esse Britanniæ; pereundum esse legirupis.*

Quod autem huic *Supplicii narratori* Londinensi, quódque *Puckeringio*, Londiníq; maximæ parti, tam altè sederat animo, *Tollendam* ob eas, quas attuli, caussas è medio *Stuartam* esse: multò profundiùs idem ipsum hærebat in pectore potiorum *Elisabetæ* consultorum: qui cæteros, & maximè populum, adversùs *Scotam* exasperârant; tanquam certissimè (siquando succederet Elisabetæ) sacra juráque *Papána* reductūram. idéóque, conferri quoque stipendia, Belgicam in militiam, Anglis tunc incumbentem, vetuerant: nisi priùs *pactô* Stuartææ necis rebus ipsîs repræsentatô. Ferebantur autem id ii potissimùm ardentiùs urgere, qui sibi, capitíque suo, metuebant; si caussa *Stuartæa*, quam ipsi

ipsi jam capitis condemnâssent, prævaleret: viri, *Mariæ* præ cæteris infensi, stylôque Romualdi Scoti, Stradæq;, perstricti; *Leccestrius*, *Cicilius*, *VValsinghamus*: si non & *Baconus*, *Bramlaus*, *Hattonus*, *Blontus*, *Craunlaus*: & aulæ penetralium indigenæ cæteri. Sed nos ad *Elisabetæ* revertimur, adversùs *Mariam Scotam*, Acta.

LXXXI. Tantô, tum suæmet mentis, tum Angliæ Scotiæque rebellium, in necem *Stuartæ* consensu stimulata, nihilque jam in posterum dissimulanter, aut civiliter, agendum in eam, *Angla* rata: per contumeliæ quosdam, asperiorisque tractationis, gradus, sic è vita cœpit eam extrudere: *quò*, *se mori*, *sentiret*.

Anni, quem sæpius memoravi, sæculi superioris octogesimi sexti, mense Sextili, die mensis ejus *undecimo*, qui Divæ *Susannæ Martyri* sacer erat, custodiæ *Fodringhamææ* vigiliis, & arci, præpositus, *Paulétus Amia*, (295) primum impetum in ministeria fecit captivæ: quorum alia fugavit; alia, semotas in custodias conjecit: *Elisabetâ* mandante. Petenti verò *Reginæ*, conferre verba, super necessariis quibusdam, cum eo, quem *à secretis* habue-

Maria Stuarta.

habuerat (*Navio* nomen erat); à *Pauléto*, præter temporis præteriti morem, id negatur.

Proximum, eodem tempore, furoris turbinem excepêre ſcrinia, ciſtæque, forulíque libellorum; & occluſarum rerum arcæ. quæ cuncta *Paulétus* obſignata, *Stuartæ* deinceps uſibus, etiam quotidianis ac neceſsariis, intercludebat. Immiſſi quoque *Calviniani* ſpeculatores *gemini*; quidquid chartarum & lucubrationum, reconditarum æquè patentiúmque, venerat in manus, id luſtrabant, & excutiebant. delectúque præterea factô, ſchedia, notas, obſervationes, epiſtolas, & rationum quotidianarum conſignationes, (quibus corbes tres inferſerant) auferebant. Et id in oculis *Reginæ*: ſpectantis indignitates, quales non niſi ſuſpectiſſimis irrogantur; ac gemitu (quis dubitet?) altô devorantis. *Nemini facilè mortalium* (quod apud Criſpum Cæſar dicit) *injuriæ ſuæ parvæ videntur*. quantò majores videri *Regibus*, & ſentiri, par eſt à quàm non leves *Reginis*? & hîc quidem *Reginæ*; quam exagitabat alia, *non minùs* quidem *Regina*, ſed genere natalibúſque *mirè minor*. Nec tamen dedécorum hîc, offenſæque, finis fuit.

Augu-

Appendix, ad Annum 1614.

Augusti mensis duodetricesimô die, mandante pariter & hoc *Elisabetâ*, Paulétus idem, de quo dixi, quidquid apud *Mariam*, tot annis inclusam, adhuc auri, quod argenti facti, vel puri, nummorum, supellectilis, ac cimeliorum reperit, id asportat: &, quantum in ipso fuit, *fictilibus* ei ministrari, plebejè reginam ornari, vivereque cum vulgo, cogit. Ad hæc, viâ vitâque quotidie magìs ad exitum declivî, sub *Octobris undecimum* diem, *judices* ad eam, numerô (quò suî formidinem spissaret) *triginta quatuor*, expedit *Elisabeta*. Cæterùm, in his, præter *Thomam Bromlejum*, Anglici regni supremum libellorum magistrum, & *Gulielmum Buchorstum*, regni thesauris præpositum; *Comites* erant Octo; *Vicecomes* unus; Eduardi tres, & Arturus Grejus, auctoritatis & ipsi conspicuæ viri, cum cæteris: judicandi partes obituri. *Quadraginta* verò *septem*, in Babingthoniana causâ, missos Cognitores, Strada memorat. Porrò simùl, & *epistolion* hi Proceres afferebant, in quo *Supplicium Stuartæ*, supremámque necessitatem, indicebat *Angla*; die, quem esset ipsa *Scota* præscriptura, subeundam. Inscripserat autem exteriori litterarum fronti, nullâ

lâ tituli civilitate, vel priſtinæ fortunæ memoriâ; MARIÆ STUARTÆ procùl REGINÆ, procùl SORORIS, (ut olim) & *conſanguinitatis*, vocabula: (296) tanquam Mariæ Scoto-Lotharingæ puderet Anglam Eliſabetam, Boleniæ filiam!

Quò verò clariùs hæc *pardalis* expromeret, (etiam *unguibus*, ad nutum ſuum expeditîs,) immanitatem ſuam, in faciem & imagines, (297) *hominum* ævi ſui *venuſtiſſima*; ſimúlque declararet, Quàm indignum *Nobilitatis* ornamentîs, ipſa *ſanguinem* cenſeret, *Centum ac ſex Regum Scoticorum* (298) *ſucceſſorem*: ad ejus imperium *Paulétus*, idem, qui ſemper, barbariei miniſter ac ſatelles, cum *Drurio* quôdam, homine concolóre, die Novembris viceſimo, tale nihil exſpectanti Mariæ, ſupervenientes; in *Inſignia* primùm, ac *ſtirpis Imagines*, parietibus penetralium illius affixas, manibus involant: murîs ea detrahunt; &, ſolô fortaſſe provolutas, deturpant. *Paulétus* deindè, velut opere laborioſô feſſus, *Reginâ* coràm, & utiq; *ſtante*, Patricii *Ruvéni* (de quo dictum ſuperiùs, *Davidis* in rebus, eſt,) imitatus ruſticitatem; *ſeſſum* ſe recipit. Tum, in hoc *Ru-*

venum

venum etiam ſuperans impudentiâ; tanquam jam non *Carceris* modò, ſed *Reginarum* quoque *Rex*, *pileô* caput ſuum operiens, ſeſ-ſitare, diſponeréque curarum cætera, perſeverat. (299) Et hæc erat illa (ſcilicet!) ab Eliſabeta promiſsa Stuartæ quondam, *honorifica*, ſi veniret in Angliam, exceptio! *Nolite* talibus, inquit ſacer pſaltes, nolite *fidere Principibus*; (300) pollicitorum divitibus, rerum autem inanibus; & opere, Punicis. *Maledicit* divinus Jeremias *homini*, qui, ſepoſitâ Dei fiduciâ, *confidit homini*. (301) quem eapropter, & in *myrîcas* reſcribit; ínque deſerta ſolitudinum loca relégat. *Conjungi* nos *Deo* vult Sirácides (302), ac *ſuſtinere*; *tanquam aurum*, flammâ fornacularum *examinatum*. Nec ignoravit iſta *divini Sapientis* monita, multóque minùs eſt aſpernata, *Stuartæ* Pietas. quæ cùm antehac ſemper inter prima, cœleſtium, & conſcientiæ, curas habuiſset: tum verò cumprimis, ab illo proximo, cujus memini ſuperiùs, *Octobris undecimô* die, poſt feralem ab Eliſabeta miſsam ad ſe chartam, in paternum DEI gremium ſe totam rejecit; eíque ſe quàm arctiſsimè poſthac aſtrinxit: (303) in *preces* frequentiſſi-

tissimas, in affectus tenerrimos, in Cœlestis regni desideria, se copiosiùs, *&* *juges inter lacrymas*, effundens. Et hæc agebat, in Imaginis *piæ*, quam postridie statim Insignibus suis gentilitiis avulsis substituerat, aspectu.

Novissimè porrò crudelis *Elisabeta*, Decembris quartô die, quo Divæ *Barbaræ* Virginis, pro Christi gloria, cædem, à consanguineæ manûs ferro factam, Ecclesia recolit; ad eum, inquam, diem, jam non per *epistolam*, neque per internuntios, aut privatas denuntiationes, sed *Edictô publicô*, regiæ Majestatis annulô subsignato, *Capitis supplicium*, in *Mariæ Stuartæ* cervicem, promulgavit: &, ex arce *Richmundiana*, reliquam in Britanniam, sui juris, circumferendum emisit. Visum tamen Providentiæ Numinis est, à *secuturo* potiùs *annô*, quàm à *præsentis*, ad exitum properantis, metâ, Sanguinem ejus, ac Supplicium, spectandum exhiberi. Cujus nos seriem nunc exsequimur:

LXXXII. Annus sæculi superioris *octogesimus septimus*, funere *Stuartæ* memorabilis, *Februarium* inchoârat: in cujus *diem undecimum*, jejunii verni tunc initium incidebat. MARIA, quæ (sicut diximus) moriendi

riendi certa, *quatuor* retrò *mensium* tempus universum, omnî genere studiorum pietatis, exegerat; tunc tamen, ipsâ temporis invitata professione, quæ *Catholicis* opera divini cultûs, & *pœnitudinis*, austeriora commendat: eâdem, quæ fecerat ad eum diem, ab hoc postea quoque, contentione frequentiâque longè majore, facere pergebat. Orare DEUM, creberrimè: meditari divina, religiosissimè; secúmque dispicere, quæ *Spiritûs* essent, & conscientiæ. *castigare corpus*, per jejunia quotidiana, pérque cæteri generis spontaneos dolores, atrociùs. agere demum omnia solertiùs; per quæ testaretur, *Ecclesiæ* se, Paulóque, gentium magistro, consentire, clamantibus: *Tunc esse tempus, acceptu dignissimum; tunc dies esse Salutis*; (304) quibus religiosissima quæque mens se Numini commendet, *in multa patientia, plagîs, carceribus, laboribus, vigiliis, ac jejuniis; per arma justitiæ virtutis divinæ.* Talibus his, & id genus aliis Operibus, cœlo placentibus, & Calvino displicentibus, intentæ *reginæ Scotæ*; dies advenerat *Februarii decimus septimus*, hebdomadæ *tertius*, seu *Martis*: cùm, ecce! *Fodringhaminum*, ad horam pomeridianam alteram,

teram, advehitur, Londinô missum ab *Elisabeta*, Judicum, ac prætorum capitalium, agmen densum. Hi, cùm arcem intrâssent, unà simùl omnes rectà conclave petunt, in quo *Stuarta* tunc, minùs commodè valens, ad lectuli pedem sedebat; & intromissi, detecto quidem capite, cæterùm, nullîs admodum verborum ambagibus, *Eam ante meridiem diei posteri mori jubent. Ità Velle Mandaréque, Reginam Elisabetam.* Is autem crastini dies, *Feria quarta* futurus erat *Quatuor* (ut appellamus) *Temporum*; jejuniô quodammodo geminatô rigidus; & eo nomine *carnariis* (305) inamabilior. cujus tamen hominum Epicureorum classis, *regina Scotiæ* non erat.

Ea, supplicium indicentibus, placidè, nihîlque cunctans; UTI JUBETIS, respondit; ITA FIAT! *Poteras* (inquiunt unus, altérque, judicum è numero,) *tragœdiam hanc universam tuîs à cervicibus detorquere; si non indurâsses illas; sed potiùs, post tot, (undeviginti jam annorum) quotidianas, & amicissimas, exhortationes, in negotio Religionis & Animæ*, relictô detestabili Papatu, *nobiscum, & cum Regina nostra, totiúsque ferè Britanniæ mundô,*

mundô, sentire voluisses. Sed neque nunc quidem omne reditûs ad gratiam veniámque præclusum iter est; si resipiscere, vel ante Solis adhuc hujus occasum, decernis; ac, pro Romæ deceptricis Ægyptiacîs tenebris, Evangelii, Jerosolymæq; REFORMATÆ, puram *lucem respicere. Potes,* MARIA, *non vivere modò, sed & aliquando Regnare denuò: si dare manus Veritati-resuscitatæ potes.* (306)

Ad quæ Stuarta; *Non altercatum* (infit) *de* FIDEI *quæstionibus, sed suprema mihi denuntiatum, advenistis (opinor) judices. Si me mihi constituram, animique mei decretis veterrimis immansuram, creditis (uti credere meritò debetis); hæc ipsa pauca verba vestra, nimis multa sunt: & perditis ea. Conclusum enim dudum est: nihilq; muto. Sin de firmitate mea victoriæ quiddam vobis pollicemini; nimis pauca dixistis. Quibus, ad me labefactandam, anni toti novendecim, vestrâmet confessione, non suffecerunt; postremi bidui paucula vix horæ, quomodo suffecturæ sunt? Pertinaciâ, quanta mihi fuit in retinendo sensu meo, tantâ vobis opus erit in expugnando. Nisi fortè, disertior vobis orator futurus videtur, mortis horariæ, jam instantis, metus; quàm tanti*

Maria Stuarta.

tanti retrò temporis dura captivitas; quàm, tractus ex alio carcere, carcerem in alium, pes vagus; suîmet exul; alieni soli miser hospes. custodiarum fores, intus manenti, stationibus obsessæ; foris, si prodirem, gladiorum & sarissarum occursu terribiles. quoties ostia creparent penetralium, exspectatio nuntiorum lethi: quoties portarum stridérent cardines, præstolatio ministrorum-necis. Addite (quæ ferè vinctis accidunt) aëris inclusi spissitudinem; habitationum angustias; corpori necessariorum frequentem inopiam. quibusdam autem (ut & nobis) extra sortem communem alia compluria, latu gravia: crebras indignitates, contumelias, exspoliationes, sannas; ad Insignium usque, titulorúmque, direptiones. Quæ cuncta, quid vobis, tantô tolerata tempore, videntur aliud; quàm Una, continuatáq; (plus dicam!) & regia, mors? *Hanc ego si ferre toties, tot per annos, potui, pro Caussa sanctâ: non potero nunc (eô, qui me roborat, assistente, Cœli-DEO,) non, inquam, potero, tolerare sub ultimam* mortis-unius *unam horam? Idq; stat ità fixum animô*, Catholicè mori. Negotium est *hoc, non ludi puerilis, aut nugarum; sed (quod ipsi fatemini)* Religionis, & Animæ. *Conscientia sacra-*

sacramentum huic innexum est. quod si perrumpi, tanquam araneæ cassem, impunè posse, quæstûs humani cujuscunque tandem venatu, putatis: na vos in immensum aberratis. Quid prodest enim homini, Mundum universum, animæ suæ damnô, lucrifacere? quid dicam, & æternâ cum jacturâ? (307) *Scotia mea regnum, ademerunt mihi mei: quin potiùs, non mei, sed*, hominis-Inimici, domestici *mei* (308): frater supplantans, & omnis amicus, fraudulenter incedens in me. (309) Regnum *interim, abstulerunt mihi; non*, Regni jus. *Sed & hoc quoque, siqua mihi violenta manus eriperet; habeo superstes Regnum in Cœlo, majus, & altius; quod, constanter obsequentibus sibi, promisit is, qui perfidiam ignorat. Suum sibi soror Elisabeta servet Imperium, suos in usus: nec mecum, Apostasiæ mercedem, communicet.* Claves *Regiæ-cœlestis, Christo committente*, Petrus *habet; &* Petri successores. *Hæ mihi, veræ lucis & Evangelii puri, Jerosolymæq; sanctioris, Portas, quas apertas monstrârunt, apertas asservabunt.* Hæ portæ Domini: per quas intrant Justi (310); justéq; judicantes: *adversùs quas, Inferorum Portæ, non prævalebunt; id est, HÆRESES.* (311) *Valete!*

Maria Stuarta.

Sic finiit ſermonem ; & ſententiæ fatalis bajulos dimiſit.

LXXXIII. A diſcedentibus tamen, quò conſtaret, quónam loco pretiôq; curam haberet animæ ſuæ, ſollicitè rogavit : ut, quod morti propinquis omnibus *Solatium* indulgeri ſuêſset, Conſcientiæ rector Sacerdos ; id, ſibi quoque, ſupremas ingeminanti preces, gratificarentur ; ac Suum, à *Sacris*, & *eleemoſynâ*, quondam habitum, *myſtam* invitatione non irritâ vocatum à ſe, paterentur. Accerſitum eum quippe, per internuntium, cùm alioquin alacerrimum ſemper ac promptiſſimum exhibere ſe ſolitus eſset, eô demum, tam durô ſuô tempore, trahere veniendi moras ; incertum, à quibus, & quam ob cauſſam, injectas ? Id autem, in hunc ſe, quem dicam, modum habebat.

Ex quo tempore MARIA Scota, malîs avibus in *Eliſabeta* venerat gypſatas & viſcoſas manus ; omnem illa detraxerat ei *Sacrorum* Catholicorum uſum, ac facultatem. *Fodringhamii* verò paſsa quidem erat, adhuc ei *presbyterum*, inter cæteram miniſtrorum turbam, adeſse : ſed ad ſolam, ejus impensâ nominéq; pauperibus largiendæ, ſtipis operam. cuj

cuj proinde, jam non *Sacerdotis*, aut aulici Sacrorum Curatoris, ſed *Eleemoſynarum Quæſtoris* titulus, hæreret. Hæc per annos octodecim ità, quemadmodum *Eliſabeta* præceperat, fiebant: &, ut fierent, is, quem nominavi ſuperiùs, *Amia Paulétus*, exactor anxius ac rigidus, accurârat. donec annô demum decimo nonô, poſtridie diei, Divo Laurentio Martyri natalis, cum cætera plerorumq; *Maria* domeſticorum familiâ, ſic Anglâ mandante, caſtrô *Sacerdotem* etiam hunc, *Eleemoſynarum* præſidem, (ut accidiſse, nec aliter, rerum tandem eventus docuit) ejecit. Is tamen, ne totam *Reginæ* curam memoriámq; videretur abjeciſse; degere lateréq; ſolebat in vicinia, Reginæ ſuæ non ignotâ. Quo proinde fiebat, ut per litterulas, aut preces, ad ipſum fidiorum miniſteriô deportatas, faciliùs eum *Maria* conveniret; quàm, ſi longiùs ille ſe *Fodringhamiô* removiſset. Egebat autem hôc ſaltem, quantulocunque, Spiritûs afflicti ſolatiô *Regina*; tantô jam à tempore, rerum & hominum iniquitate, nullum experta paullò ſanctioris facundiæ *Barlaámum*, (312) à quo, tanquam Indus ille Rex Joſaphatus, ipſa quoque clauſa, conſtrictáve,

robur animi novum caperet : ex quo tempore, *novemdecim* abhinc annîs, *Archiepiscopum* à se dimiserat *Sant-Andreanum* : & ante viginti quinque plus minùs annos, Româ missum ad se, *Nicolaum Gaudanum*, Societatis JESU Theologum. (313) cujus tamen alloquio frui diuturniore, per *impii Murrayi* formidatum intercursum, haud licuit. Supererat, ut Romanorum subinde Pontificum epistolis, *Stuarta*, pia PETRI, successorúmque, filia, refocillaretur. (314) quod & factum est. Sed, Roma procùl; & tunc in proximo, ferale ferrum, & hora decretoria, *Reginæ* mentem iisdem illis verni jejunii diebus primîs, arcanioris stimuli tacitô quodam præsagiô vellicârant, etiam ante Judicum capitalium supremum adventum; TEMPUS ESSE BREVE. PRÆTERIRE FIGURAM HUJUS MUNDI. *quocirca, sese componeret ad abitum, & emigrationem.* Huic impulsui, quò paréret, divinorum alioqui facillima, MARIA; sedet, ac scribit, aut per internuncium accersit *in dies illos, ceu sibi postremos*, Eleemosynarum illum curatorem suum : cujus fidis auribus cum cura recenseat, omnium retrò gestorum

(per

(per capita ſaltem,) ſummam , & congeriem. Nec in mora *Sacerdos* eſt.

Sed venientem, ſeu *Paulétus* , ſeu, quos ille ſibi ſubſtituerat , ſpeculatores , intercipiunt ; & , *Stuartæ* ſpe deceptâ , paullisper autem etiam celatâ, nec ad reginam admittunt ; nec ex arce tamen emittunt : verùm, in caſtri parte quadam occultiore, detinent. quod in longum tamen latére *Mariam* non potuit. Et id erat, quod abscedentes mortis-denuntiatores rogabat illa, *Sacerdotis ſibi ſui copiam uti facerent*. Eâ facultate protinus (è genio mentéq; ſuæ Sacerdotum-Principis.) ei negatâ : cùm Maria *ſpatiolum unius ſaltem horæ* flagitaret , *quâ per Confeſſionem conſcientiam ſuam elueret, ac divinum è conſecratis manibus viaticum perciperet* ; etiam horum *utrumque* non modò renuerunt Judices, ſed multìs inſuper , ac *blaſphemâ* ſannâ refertìs, ludibriìs exſibilârunt : *Delictorum exomologéſin* , ſuperſtitionem anxiam ; *Euchariſtiæ* verò *perceptionem* , utì nudi panis fragmentum , ità *Divinitatis inutile figmentum*, appellantes. In quæ , nequam - linguarum abominanda ſputa , (dolore cor, & oſsa, *piæ Reginæ* perurente,) tantus confeſtim, ex ejus

Maria Stuarta.

ore, tanquam ex *Ætna* flammarum torrens, itá facundiæ flagrantis impetus prorupit; ut non jam *Stuarta Scota*, sed omnis ex ea gentium omnium ac terrarum, loqui FIDES, & ECCLESIA, videretur. In *Una Muliere fortî* concordes astare faríque, Petrus, Paulus, Apostolicúsq; totus chorus: omnes, *è Græcia*, Chrysostomi, Cyrilli Jerosólymorum, Damasceni Syrorum: *ex Afris*, Augustini, Cypriani, Fulgentii: *Latini Doctores*, Hilarii, Leones, Ambrosii: *Septentrionales*, Patritius Hibernus, Erhardus Scotus, Palladius, Scotorum Apostolus, Anglus Beda; cæteríque, *pro Gloria Veritatis Eucharisticæ*, pro lege, præceptôque DIVINO Confessionis, *homini* peragendæ, disserentes. Ad summam! *Mulierem* se nactos esse supplicem pavidámque, lethô tam propinquô, rati Minöes isti; *Fortem invenerunt*, & Heroinam; *cujus procul, & ab ultimis* Boreæ *finibus* advectæ, *pretium* non in trivio jacéret. Itá discessum tunc est: à *Regina* quidem, irritâ votorum suorum; non irritâ facundæ Sacrorum tutelæ: Sed ab *Anglis*, oratione viraginis attonitîs, cum desperatione subvertendæ stabilitatis ejus. Et tunc erupit illa, quam supe-

ſuperiùs ſubindicavi, *Comitis Cantiani* vox; *Neceſſariò perire Stuartam: cujus alioqui Vita, Calviniſmi futura Mors eſſet, in Inſula Britannorum.* (315)

LXXXIV. Interim exhilarata *Comitis* hoc *apophthegmate*, (cui non diſſimilia, cæterorum quoque procerum nonnulli, jam antea muſſitando jecerant,) & hanc de ſe ſuorum hoſtium cenſuram in trophæis *Mariæ* numerans: gratas ad cœlum manus, cum oculis animôque, ſuſtulit: in DEO, *Salute ſuâ*, DEI-MATRIS, ſibi cognominis, exemplô geſtiendo; quòd is *Ancillam ſe, tam indignam*, tamen dignari viſus eſſet *miniſtram* deſtinare reſtaurandæ, per Albiónis regna, pietatis orthodoxæ. Quo proinde *gaudiô* ſubſultans *in Spiritu*; non ſe continuit, quin illico ſedens, hæc ipſa ſummatim *Sacerdoti* ſuo perſcriberet: (316) obſecrans interim; *ut, quoniam corporum utrimque præſentia, perficienda deliĉtorum Confeſſioni, negaretur ipſis, eam tamen, quæ mox inſtaret, noĉtem, precibus uterque junĉtis, etiam abſentes, tranſigerent. Ac peccata quidem in præſens, quoniam HOMINI non liceret, NUMINI ſe faſſuram. Poſtridie verò, ſi repetitâ ſupplicatione*

P 5 queat

queat à Judicibus eum impetrare, funerali saltem in pegmate: se, dejectis in humum coram eo genibus, palàm omnî spectatorum frequentiâ, verba, sibi novissimam felicitatem precaturi, totûs animi sensibus excepturam. Magnum, in muliere piâ, *Sacerdotium reverenter habendi*, documentum!

Inter hæc autem, adrepente sensim nocte, cùm cœnulæ, *jejuniis Ecclesiasticis permissæ*, tempus pariter instaret; amotîs Reginâ cupediis, & bellariûm deliciolîs, ante se positô *panis quotidiani* frustillô, nec pluribus cibi fomentîs, imbecille tunc corpus, reficere cœpit; partim & corrigendo stomachi languori; partim quoq; viribus, *geminâ* Procerum *refutatione*; per dicendi contentionem, debilitatis, nonnihilô restaurandis. Quo raptim peractô, cùm sola tantisper, ab adventu statim primo *Quæsitorum Londinensium*, amandatâ familiâ, permansisset; eam tunc (ignaram eorum, quæ dicta gestáque secretius intrà conclave fuerant,) eandem ad se, suetô tintinabuli signô, revocat: unà comparere quoque familiæ præfectô rectoréque jussô. Solliciti, sexûs utriusque domestici, spem inter, ac metum, pendentibus ani-

animîs, adstabant ; quid imperatura , quídve denuntiatura *Regina* foret , exspectantes.

At illa, voce placidâ; *Sub crastinum*, ait, *diluculum* (*filioli mei*, *filiolæq;*) *subeunda mihi mors est*. *Et subibitur*. O, (succlamant) *ô Serenissima*! *nostris id hostibus*, *non capiti Tuæ Majestatis*, *eveniat*! Simùl in lacrymas nemo non copiosas, in sonoras autem complorationes turba famularum, effunditur; ejulatu clarô, per totum personante cœnaculum. Quos illa, ne *Pauleto* furendi caussa nova nasceretur, compescens: *Et irritus*, inquit, *hic ululatus est*, *&* *serus*. *Jussêre mortem*, *&* *funus*, *qui modò me convenerunt*, *judices*. *Id illis*, *inferre fixum est*: *&* *mihi*, *ferre*. *Mutari jam nequit*. *Adhuc una nox*: *&* *interveniet*, *ecce*, *qui nos totô separet Temporis &* *Æternitatis intervallô*. Verbîs autem hîs non compressâ, sed in immensum auctâ, lacrymantium mœstitiâ; solabatur eos *Regina* (quæ talibus abundabat) *Tolerantiæ Christianæ*, sacris è voluminibus depromptâ, *panacéâ*: dolorem animorum leniente. Secundùm quæ, spondens, *Non se tamen totam*, *in eorum unoquoque*, *morituram*: *sui pignus amoris*, *&* *memoriæ monimenta*,

par-

partítur inter omnes, ac ſingulos, è ſcriniolis cubicularibus, ſiqua nuperam, à *Pauléto* factam, direptionem, aut latére potuiſſent, aut reſtitutione ſuî recolligi; donariola, munuſculáque, ſeu ſacra, ſeu communia. *Parapherna* quodammodo fuerant iſta, (317) cujusquemodi generis, vel aurea, vel argentea: fuſa, ſculpta, picta, texta, veſtium, ornamentorúmque (qualia *Reginis* vulgò multa variáque ſunt): poſt rapinam illam primam, ipſi poſtulanti, quadam ſuî parte, redhibita. Donîs autem hîs MARIA, pro cujusque meritis, aut captu, divisîs; pacatos eos, &, ut potuit, compoſitos ſedatósq;, dimittit in præſens à ſe. mittit autem eos in aliud quoddam arcis cœnaculum: monitos tamen antè; *pro Domina ſua, viventis æquè defunctæq;, felici ſtatu rogare DEUM, meminiſſent: ac, ſiqui diluculò poſterò vocarentur ad ſuprema, ſuæ quondam, Reginæ; præſtare munus hoc, & officium extremum, ne formidarent.* Ipſa, ſecedentibus cæterîs, ex univerſo familiæ numero, *duas* ſolas, pediſequarum fidiſſimas, *Virgines*, ſecum retentas; abducit unà, ſecretius in precarium. (318)

LXXXV. Ibi CHRISTI, Regis noſtri, mor-

mortem udituri, pridianam, *ad discipulos*, exhortationem imitata; duas ad puellas suas conversa: *Sustinete mecum hîc*, inquit, *& aliquousq; tolerate, noctis*, mihi supremæ, solitudinem istam. *Vigilate* pariter; *& orate* simul: *ne tentet nos, & supplantet, Sathanas; vos* quidem, meî tædio: *me* verò, formidine mortis imminentis. Ad me quidem, quod attinet: non expavesco ferrum, quo casura sum. Ad occumbendum, pro Servatoris, & ejus Ecclesiæ, gloriâ, *Spiritus*, DEI donô, *promptus* & alacer *est*. *Caro verò*, suopte pondere gravari proclivis, sustentari precum *fulcrô* debet.

Secundùm hæc, ante *Christi*, pendentis è Cruce, sculptam imaginem, in genua se dejiciens; eô corporis situ duravit, à conticinio noctis, ad usque posteræ diei diluculum, & ultrà: *vigil* semper, ac nullô somni gustu. Fecit autem id; nihil de *precandi* contentione remittens unquam: nisi, quòd, noctis ante medium, imbellem valetudine stomachum, semel iterúmque, fomentô perquam exiguô coacta reficere, post noctis autem dimidium aliquid lucubrans; supplicandi constantiam interpolârit. Cæterùm, ità pleramque noctis longitudinem, mentis ad

ad DEUM elevatione, defixa decurrebat, quemadmodum dixi; poplitibus nempe pavimentô conclavis, oculîs autem cœlo, vel imagini *Christi morientis*, intentîs: ut nunc quidem *vitæ* (*quæ sinè nævo nemini vulgò decurritur*) præteritos errores deploraret; eósque, cùm *Sacerdoti* non posset, DEO judici fateretur. nunc autem, in agendas eidem gratias effunderetur, pro cunctis, in se plenô sinu congestîs, *naturæ Gratiæq;* donîs. quorum in censu, locôque spectabilî, MARIA ponebat, id quoque; quòd in *turbam* & ipsa venire sineretur, *magnam* illam, & *innumerabilem*, in Apocalypsi *visam* à dilectissimo CHRISTI discipulô: cujus multitudinis in ore, *canora DEI laus, ac triumphales in manibus essent Palmæ futuræ.* (319) Subinde verò, quo promptiùs in caussa Religionis ponendi vitam, sibi calcar adderet; ad expendenda REGIS-MARTYRUM tormenta, dolorésque mortis, se convertebat. Et (ad summam) tractando volvendóq; secum, quæ TEMPUS ANIMÆ, CITO MIGRATURÆ, piis à mentibus exposcit; aliàs verbîs, & precum *jaculîs*; aliàs meditando, *contemplando*, gemendo, suspirandóque,

dóque, præſtabat: egregiô morituris omnibus, ad paria, documentô.

LXXXVI. Proceſserat, inter hæc, noctis curſus ad *horam* antelucanam, in horológio caſtellano, *Secundam*. cujus *Regina* ſonitu perceptô, cùm indigeret ſomnô, *ſomnum* rejicit; & *calamum* arripit: labore, quem ego (quoties *alieni* promovendi *commodi* neceſsitas id exigit) *Precationi* cuivis æquilîbrem, pronuntiarem. Præter illam mirificam comitatem, qua, proximè lapſi Januarii die duodecimô, *cervicum ſuarum ſectrici* valedixerat, *Eliſabeta*, commendans ei domeſticorum ſuorum, pro præſtito ſibi tot annis miniſteriô, fidelem mercedis exſolutionem: componit etiam ad *Henricum Tertium*, *Galliæ regem*, ſalutationis extremæ cauſsâ, litteras. In quibus eum, inter cætera quædam, etiam, & inprimis, id rogat: ut ex ea, quam adhuc ſibi Valeſiana Regum aula domúſque, tanquam *Franciæ* (ſicut loquuntur) DOTALI, debeat, auri Summâ, COLLEGIUM exſtruendum dotandúmque curet, SERVORUM, utì ſcribit, DEI; ſeu *religioſis* in *Votis*, ſeu Sacerdotii liberioris *canonicâ* functione, divinis operantium;

tium; piè psallentium; &, inter hæc, *Fundatricis* etiam *Salutem* Numini commendantium.

Cæterùm, quid, hìs scriptîs, ac missîs, Rex Francorum *ille* statuerit, aut è mente scribentis exsecutus fuerit; indagare curiosiùs, supersedi. (320) MARIA, calamô, curîsque generis ejus universîs, deinceps sepositîs; cùm paullatim & *Auroram*, sentiret, & *feralem horam*, propinquare; puellas, vigiliarum & orationis socias, ut quietis nonnihil ac somni degustarent, in cubile, pedisequarum recessui destinatum, emittit. Tum demum ipsa; solam se (tametsi non penitùs inaspectam; propter claustri foramen, & januæ rimulas, observantium foris oculis pervias:) sed, utì dicere cœpi, solitariam prorsus se *videns*, & *credens*; DEO jam soli quàm arctissimè sociatur, & innectitur. ardénsque corde, labiîs, ac vultu, sensibúsque cunctîs; iterum, & submissiùs, quàm unquam antehac, in genua corruit. dein, inter, scintillantes ex oculis, Amoris sanctissimi faculas, inter flagrantia desideriorum in cœlum jacula; de collo pendulam, operis, & materiæ pretiosæ, *pyxidem* resol-

resolvit. Ex ea, CORPUS CHRISTI depromit *Eucharisticum*; quod, in hunc ipsum ultimæ necessitatis usum, Sanctissimi Pontificis *PII Quinti* concessu, dudum circumferebat secum. Id *adorans*, eximénsq; vasculô; quoniam è *mystæ* manu nequibat, è *suâmet* quàm reverentissimè sumit: quod, paullò pòst mortem-obituri corporis, *custodiret Animam, in Vitam Æternam.* (321) Hoc, quemadmodum retuli, procùl arbitrîs, & in arcis retrusiore conclavî, præsente nemine, peractum; observâritne, per serarum aut forium hiantes commissuras, pedisequarum alterutra, vel útraque; seu, *se fecisse*, postmodum ipsa Regina fidiorum cuipiam detexerit, (quò plures, à morte, *Catholicô ritu finita Vitæ*, testes ipsa relinqueret;) seu demum, undelibet ad notitiam aliorum exierit: exîsse constat; à Scriptoribus quippe, perquam probatîs, posteritati commendatum.

LXXXVII. DUM autem in agendis DEO gratiis, pro cœlesti perceptô *Viaticô*, more piorum omnium, est Regina: diluculum interea plenum se fenestris infudit. Eô, de pavimento genibúsque suscitata, futuris sese componit illa: repetitôq; cymbali, sicut

pridianô veſpere fecerat, ſignô, familiam denuò convocatam; partim *precari* DEUM, unà ſecum, quoad liceat, illo temporis reſiduô, jubet: partim ancillis *ornatricibus* muliebris mundi, circa ſe, curam mandat: QUO, SOLLEMNI (ſubdit) ISTO DIE MEO, SOLITO QUOQUE COMPTIUS PROCEDAM; MORTI DESPONSA (322): cujus OCCURSUI, nihil interim de rerum divinarum intentione remittens, STUARTA præparabatur.

In his dum ſunt; horæ matutinæ *Septimæ* pulſus inſonat: & arcem *Fodringhamiam* intrat, ex decreto pridianô, *ſanguinarium* omne *concilium*; quod, ab *Eliſabeta* Londinô miſſum, antecedente veſperâ *Mariam* convenerat. Id agmen jam *auctum* erat; aliîs ſuper alios aggregari cœptîs. Horum, adversùs *Mariam*, & hujus circùm ipſos, Acta, ſermones, & eventa, cùm poſſem ego, nullô veritatis vitiandæ periculô, ſolîs, & cumprimis idoneîs, è monimentis *Orthodoxorum* afferre: *Calviniſequorum* tamen è ſcriniis, & eorum quidem *Londinenſium* Scriptorum auctoritate, narrabo; talia, recentiſſimâ re, ſub oculis *Eliſabetæ*, tradentium;

tium: quò tantò *clarius* ſit *Stuartææ Virtutis*, quantò *concordiùs* fluens, ex *Hoſtis* etiam *ore*, teſtimonium. MAGNUM famæ, quod lucet ab *æquo* judice, jubar eſt: ſed immensè majus, quod & ab *Iniquis infeſtiſq;* ſparſum.

Coiërunt igitur (quod dicere cœperam,) in magnam *Fodringhamenſis* arcis *Aulam*, horâ, quam nominavi, complures omnium generum, & ordinum. In his, *Comites, Barones, equites aurati; clientes eorum, & à pedibus*, numerô circiter *Centum*. quibus adjuncti *Pauletiani*, cæteráque caſtellana multitudo; *trecentorum* facilè ſummam effecerant; *ſpectatum* omnes; *judicatum* autem, *condemnatúmq;*, pars permagna. (323) Viſum his eſt, dum eorum, quibus adeſſe per ſupremum prætorem licebat, univerſa turba collecta ſtaret; opperiri *tempus*, & *Ream*. (324) Congregatîs tandem omnibus, occlusâque caſtri primâ principéque portâ, qui judicio præerant, *octavam* inter ac *nonam* horam antemeridianam, mittunt ad *Reginam*, ſciſcitatum; *Ecquid commodum eſset ei, deſcendere?* Nam *altiore*, ſupra *magnam Aulam*, contignatione (quò difficiliùs elaberetur,) habitabat. Deprehenduntur fores, propter

comprecationem (cuj *Regina*, cum ſuis, aliquantò vocaliùs vacabat,) obſeratæ. quam proinde tunc interpellari, viſum erat, inurbanum.

Sed aliquantò pòſt iidem, qui primò, denuò miſſi; cùm patentem reperîſſent aditum, &, quæ juſſi fuerant, interrogâſſent; reſponſum retulerunt; *Nondumetiam omne finitum eſſe, quod Regina præ manibus haberet, opus. finitum autem iri, non ità multò pòſt.* Ergò ſpatii quiddam & tunc, inſatiabili precum, *Stuartæ* datur. Sed demum, *horæ tertiô* propemodum, à prima miſſitatione, lapsô *quaternione*: velut impatiens moræ, quæ ſpectaculum cruoris regii ſibi differret, ac ſuſpenderet, *Georgius*, *Comes Schrasburienſis*, legationem funeſtam ipſe, prætermiſsîs internuntiîs aliîs, obiturus; ad reginam, baculum *album*, poteſtatis inſigne, dextrâ geſtans, tendit. Quam & tunc, *nixam genibus*, & cum gynæcéo, cæterâque familiâ, precibus intentam, inveniens; *Domina!* (ſucclamat) *exactum tempus eſt. Hora ſuſtinendi, quod decretum eſt, inſtat. Ad exſequendam fati ſententiam, parata ſtant omnia.* (325) *Tu ſola dees.* Cuj *Regina*, nihil porrò cunctata,

ctata, ſed ab oratione ſurgens; *Et ego parata*, reſpondet, *ac præſtò ſum*. Simul, inter hæc, digreſsô *Comite*, duobúſque relictîs illic aſſeclîs aulicîs, qui comitarentur eam; pediſequæ famulíque, qui cum regina comprecationis hucuſque cauſsâ manſerant, ſecedunt ad eos, qui foris ipſam præſtolabantur. *Poſtrema* ſequitur & *Regina*; duorum, quos dixi, comitum honorariorum media: quam egreſsàm, omnis, in *procœtone* collecta, ſexûs utriuſque familia præſtolabatur; largè flens, &, lamentatione clarâ, *Dominæ* ſuæ ſuprema proſequens. Eos omnes illa, dulcibus affata, more ſuô, verbîs, allevat ac ſolatur: hortatáque, quoad temporis ſinebat brevitas, ad *divinæ Majeſtatis* timorem, ad *humanæ potentiæ* reverens, in rebus licitis, obſequium; vale-poſtremum *ſuo ſexui* dicit, inter *oſcula*: ſexui verò diſpari, porrigendo *dextram* ad *oſculum*. quod ei venerabundè nemo non imprimebat, lacrymis infuſum, ac permixtum.

LXXXVIII. Poſt hæc, deſcendenti, quò citabatur, ad imos ſcalarum gradus, *Stuartæ* præſtò ſunt denuò, *Schrasburienſis*, & Henricus *Cantianus*, Comites. (326) Hi,

Maria Stuarta.

cærimoniâ, nescio quâ, quorúmve tribunalium, *ferali* quidem certè, quiddámq; *Thoantaum* (327) & *Scythicum* præ se ferente, pompam horrificant. Namque *denuntiatam*, tum antehac dudum, & pridianô modò vespere repetitam, *moriendi necessitatem*; Elisabetæ reginæ mandatô, Reginæ MARIÆ, *tertiùm* jam, inculcant. Quibus illa, cùm impavidè respondisset, & animosè, *Promptam esse se: nec ullum uspiam avidiorem, ad inferendam sibi mortem, repertum iri; quàm ad eam excipiendam ipsa foret:* inter astantes nonnihilô retrò se, *Melvinum* conspicatur quendam, è præcipuis aulæ familiæq; suæ. quem allocuta; *Fide mihi cateroqui minister, in hunc usque diem* (inquit), *Melvine; tametsi Protestantium favere te partibus, aut adjunctum quoque, suspicer, cùm ego Catholicarum è numero sim: tua tibi Regina, postrema, quæ confecta des, mandata do; cupióq;, fide, quâ quem unquam optimâ, divinis in oculis, & cœlô (si falleres) vindice futurô, Jacobum, filium meum, à te conveniri, Scotiæ regem.* (Is tunc, unum, ac viginti, plus minùs, annos natus; apud *Scotos*, institutus à *Buchanano*, quomodolibet regnum tenebat, haud dum firmissimum.)

Hunc,

Hunc, inquit, *à te cupio*, meîs salutari, doceríq;, verbîs: *Me precari DEUM, ut DEI sit Servus; populorum rector; Ecclesiæ Catholicorum defensor; orthodoxæ doctrinæ propagator; pacis, in regimine, conservator: suî, ne cuivis temere se committat, sollicitus custos; Spei fiduciæq; suæ, non humanis in opibus, sed in divino præsidio, constitutor: occasionum, Angliæ Reginam suspicionibus implentium, cautus, & providus. Hæc facientem illum, fore felicem.* ME *porrò dices* (ipsa refero Stuartæ verba) MORI FIDELEM SCOTAM, FIDELEM FRANCAM, FIDELEMq; CATHOLICAM: UTI SEMPER PROFESSA SIM.

In hæc *Reginæ* suæ verba cùm, *Omnia se facturum ac dicturum ordinè, sicut imperatum sit*, reverentissimè *Melvinus* respondisset (*Venerandam ac Supremam Principem Suam*, non sinè *Majestatis* titulîs, palàm eam nominans;) illa, sermonem ac vultum ad *Comites* rursus, judicii præsides, convertens, *Ut suus sibi Sacerdos ad extrema vitæ permittatur in publico*, rogat. Hoc ipsi beneficiô negatô; postulat, *ut, adesse novissimis suis, familiæ saltem suæ liceat; & hoc, universa*: primùm quidem, offi-

Maria Stuarta.

cii, dignitatísque regiæ monſtrandæ cauſsâ. deinde, quò major eorum eſset, *qui, Catholicè deceſſiſse ſe* teſtarentur, multitudo. Rogabat hæc, & urgebat, *Stuarta.* Sed adversùm hæc omnia difficiles, *Superſtitionis id, vanæq́ gloriationis fore genus*, clamant, *Schrasburius, & Cantianus. Adhæc, & inutilibus tot-domeſticorum lamentîs turbatum, variéq; diſcerptum iri, morituríentis animum.* Cùm reciperet illa, *turbationis nullam à ſuis eſse cauſſam orituram*: ad extremum *Comites*, ne nihil omnino tribuiſse, vel ejus veteri faſtigio, vel noviſſimæ ſpiritûs lineæ, videri poſsent; *famulos quinque, puellâsq; duas*, reginæ conceſserunt. quod illa gratum utique, quia laxiorem indulgentiam deſperabat, habuit: obſecrans interim, & interpoſitô DEI nomine *bis* adjurans, dynaſtas illos; Ne, quæ de fortunæ ſuæ tenuibus reliquiis domeſticorum unicuique donâſset ipſa *vivens*, ea *poſt obitum* ſuum, illis, ceu pupillorum ad ſortem redactis, adimerentur.

LXXXIX. In hæc, venitur ad *amplam* illam arcis *aulam*, infligendo ſupplicio deſtinatam: quæ panni nigri tegumentîs tota ſtabat, & horrebat, undequaque cooperta. Lugebat,

gebat, modo quodam, ejuſdem coloris ſtragulîs laneîs veſtitum, Supplicii quoq; theatrum, illic erectum: *altitudine*, pedum duorum, quæque, gradibus foris appoſitîs, aſcenſum commodum admitteret; *longitudine* verò, *latitudinéque*, paris utrimq; dimenſionis, *pedum duodenûm*. Incinctum præterea ſeptô ligneô, duorum in altitudinem pedum; crepidinum more, ſurſum versùs muniebatur. Ad theatri caput, *Sedes tres*; quarum, quæ *media*, cæterîs aliquantò conſpectior.

Intrans autem aulam, MARIA; ſuî primô ſtatim aſpectu diverſos, apud confertam turbam (ut cujque ſtudium in illam, aut averſa mens, eſset,) animorum motus excitavit. apud univerſos verò, ſenſum *admirationis* unum; & hunc, *è pulcritudinis incredibilis*, in immenſum ampliore, quàm unquam fortaſſis antehac, fulgore: qui, ſub abſceſsûs ultimi viciniam (*Solis* inſtar, *horizonte purô* jamjam occaſuri,) ſemetipſum inter roſeum, croceum, & auratum jubar, incendebat. Verbô! NEMO viderat ullius unquam *Auroræ* formoſiorem *Ortum*; quàm *Stuartæ*, ſic ad mortem euntis, *Occubitum*. Dixiſses, A Cœlitibus invitatam, utì *mox* veniret; cœleſte quid-

quiddam eam annuiſse. (328) tam, & *venuſta* pariter, & *læta*, ſpecies oris erat. Caput autem peplîs, è quibus viduam regalem agnoſceres, opertum erat. pectus, & collum, omni nuditate procùl. Veſtis, & ad talos magnificè demiſsa cyclas, ac palla, coloris quidem pulli; ſed telæ pretioſioris, ex holoſerico filo. Manuum altera, *Servatoris* in *Crucem* ſuffixi *ligneam* (an *oſseam?*) imaginem; (329) altera, precum libellum *Latinum*, (330) ſuſtinebat. Ad latus, è cingulo, ſertum granorum precatorium, *Salutationum Angelicarum*, pendebat; inſigne cultûs *Mariani* teſtimonium, in *Stuarta*, Virgini-Matri cognomine: ſimul autem & memoria jugis, *Horæ-mortis*, quâ precula *Salutatæ Virginis* clauditur; &, cujus tunc *Horæ momentum* inſtabat *illud*, *ex quo filum incipit Æternitatis*. E collo reginæ deſcendebat, infra pectus aliquantò, *Crux* alia, formæ minoris, *aurea*: cordis, contra *Sathanæ* jacula, quodammodo *clypeus*; accedente præſertim firmâ mentis in *Chriſtum* fiduciâ. Nos hîc STUARTÆ, qualis & quanta proceſſit funeſtum ad theatrum, effigiem germanam, & è viva raptam, exercitatâ *artium* (ξ) manu, damus.

Con-

Appendix, ad Annum 1614.

Ad Appendicis paginam 248. inserenda.



Jacob. Lôsto ab Arches f. *J. Alexād. Boener Sc. Norib.*

Conſpectâ porrò, cum hoc, quem dicebam, apparatu, talîque vultûs alacritate, *Reginâ*; gemitus undique, ſuſpiriáque, totam per aulam coorta, plurimùm aucta mox ſunt; ubi vidêre, duobus eam à miniſtris præfecti caſtellani (331) deductam, theatri gradus aſcendentem; &, à tergo proximè ſequentem, *Carnificem* (332). in theatri verò ſpatiô ferè medio, ſtantem ſupplicii, velut *deuterotheátrum* ſeparatum, & victimæ regalis aram: *truncum quernum*. Ibi, jam non, utì priùs, ſuppreſsa ſingultibus, ſed aperta complurium, & publica, prorupit comploratio. (333) *Regina* verò, nec tunc quidem in fletum, alienô ploratu, tracta; pegma, ſibi deſtinatum, ut dicere cœpi, vultu prorſus impavidô, conſcendit. Quo loco, ſimulac conſtitit; ad cœtum, infrà ſtantem, oculîs & oratione converſa; *Siqui fortè (quod vix dubitaret) illic è Catholicis adſtarent, Utì ſuis & ipſi precibus ſociatîs, in illa poſtrema lucta ſe juvarent*, hortabatur, ac rogabat. (334) Cùm autem, commodè conſiſtendi diutiùs, locus non eſset; in *Sellam*, ad id (ut antè memoravi) præparatam, ſeſsum ſeſe recipiens: ſtatim aſseſsores utrimque *Comites* accepit, *Schrau-*

Maria Stuarta.

Schrasburiensem, & *Cantianum*, in ipsis theatri lateribus. (335) Eò tum continuò procedens, à Secretis Majoris Judicii, Besslæus (336) quidam, legere voce clarâ *Decretum* cœpit, quo mandabat *Elisabeta regina* cædem *Mariæ Stuartæ*, Reginæ *quondam* (utì loquebatur) *Scotorum*; asciâ palàm feriendæ. Caussas addebat, in hæc primò, per compendium, verba. PROPTER MULTA, DIVERSAq;, LÆSÆ MAJESTATIS FACINORA. quæ dein per seriem à *Besslæo* recitata, non erant alia, quàm illa criminatricis *Angliæ*, partim suîs è suspicionibus, partim autem & è rebellium quondam *Scotorum*, mendaciîs comportata, figmenta: multorum jam pridem confossa refutationum telîs: à Florimundo Remondo, Romualdo Scoto, Joanne Leslæo, Scotorum episcopo; statímq;, post reginæ cædem, ab *Oberto* Barnestapolio, validè jugulata. per universum denique nostrum hoc *Apocomma*, passim, ut quæque se gesta nobis obtulerant, quæ notanda visa fuerant in *Stuarta*, candidè notata; quæ, contrà, defendenda laudandáque, firmîs rerum argumentîs defensa, laudatáque sunt. Quapropter hôc illa locô repetenda

non

non censuimus. *Falsa semel, suis in fundamentis; falsa sunt semper*; quantumvis, hostium ore, *veritatis auctoritatem*, per violentiam, accipiant. TYRANNI, *facere queunt è viventibus mortuos: Innocentiam, facere nocentem ævô nullo possunt.*

XC. Regina *Scotiæ*, patienter his, quæ *Besslaus* in eam effuderat, attentione præbitâ; surrexit demum: clarâque, non minùs ipsa quoque voce, *DEUM, rerum omnium scientiâ pollentem, jurejurandô sanctissimô testem advocans, & Judicem*; negabat, *eorum omnium, quorum postularetur, à se gestum aut structum quidquam. minimè gentium autem, Elisabetæ reginæ* (quam *Sororem* constanter, ad exitum usque, nominabat) *insidias. Aliis verò caussis, & erroribus suis, iram se meruisse Numinis: & tunc dare pœnas.* Quibus illa verbis, haud obscurè repetitum volebat; quod, Autumni superioris Octobrî, quadraginta septem Quæsitoribus illis dixerat: *A Deo plecti se. primò quidem, Quòd tam benignam se, liberalémque, monacho præbuisset Apostatæ*, (Murrayo spurio.) *Deinde, quoniam, è Galliis reversa, nimiâ facilitate, DEI religionisque perduelles, in Scotia sua toleravisset.*

Extra

Maria Stuarta.

Extra regnum, peccâsse se nihil. Ex animo tamen interim ignoscere se quibusvis eorum, qui suum, oppressa, sanguinem, ac spiritum, jam olim sitîssent; & nunc statim essent hausturi. Caterùm, idem se, quod professa semper fuisset, nunc etiam, sub vita fugam, profiteri: Romano-Catholica membrum Ecclesia vixisse se; nec aliter morituram. cujus (inquit adjungens) *Religionis tantum est, fuitq; semper in me, studium: ut, si Deo visum fuisset, me, nullâ cujusquam injuriâ, rerum hujus Insula potiri; cultum* DEI, *quem qualémq;* ROMANA *tenet, ac docet,* ECCLESIA, *reductura pro viribus fuerim: Id si scelus est* (dicere videbatur): *ob hoc, ecce! (libentissiméq;) morior!* (337)

Inter hæc, in genua submittit se, precatura; *libellum* adhuc, & *effigiem Crucifixi*, qualis ingressu primô venerat, retinens. Quo locô, temporéque, quiddam, quod silentiô prorsus transeundum non videtur, evénit; malignis interpretibus *Impatientia* colorem (sed falsum,) orthodoxis autem, *vera laudis speciem*, è pertinaci *Sectariorum* fugâ, subingesturum. Id, tale fuit.

Ad *victimas*, immolationi proximas, non *sacri-*

ſacrifici modò, popæq;, conveniunt; ſed *muſcæ* quoque *fuciq;*, libenter convolant; nidore, fumôve, prolecti. Sic, à ſanæ-religionis-cultorum ſupremîs, ſicubi ſpes odórve quispiam depravationis allabitur, difficulter univerſim ſibi temperat; potiùs autem alacriter ſubinde *Pſeudodoxorum flaminum* natio concurrit: aliquid, ſi queat, *Catholici* ſensûs à morituro, per ſpeciem & cauſsam *ſolatiorum*, ablinctura. Sed (pròh Deum!) quàm inanis vulgò ſterilíſque, quàm debilis ac *paralytica* potiùs, quàm *paracletica*, talium eſt *In extremis Conſolatio?* cùm unâ ſemper, & eâdem, oberratur lyrâ? Fatendorum Sacerdotis auribus delictorum, nulla mentio. multa contrà, perpetuáque, *Fidei, Spei, Salutis*, illic; ubi *Fides mortua*, Fides perfidia; Spes præſumptio; pro Spe, deſperatio: *Salus, extra veram Eccleſiam, nulla*; Salus, ſinè ſolidis ad ſalutem modîs, inſalubris, & inſana. *Solatia* (ſi neſcitis) & *Solatiorum*-miniſteria certiora, dictat *Jacobus*, Chriſti frater, *Apoſtolus:* cujus monitum eſt, ex ore Chriſti; *Confiteri nos alterum alteri peccata ſua*, non, *Soli Deo:* quamdiu confitendi nondum præcluſa facultas ſit. Cujus item

item diserta vox est. *Infirmatur quis in vobis,* (aut, morti vicinus est,) *inducat Ecclesia* (veræ) *presbyteros* (ab Ecclesiæ veræ Pontificiis manibus institutos,) *& orent super eum.* (338) PARACLETI verò tales, an sint, qui *foris*, & non in *Ecclesia-genuinâ*, Solatia sua morituris venditant; judicet *Antiqua pietas, & Religio*! Talésne nostrâ memoriâ fuerint, in hac ipsa Britannia, qui plectendos, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi noni Januariô Martiôque mensibus, Magnates, ac nominatim, *Henricum*, Comitem *Hollandiæ*, Jacobum, Hamiltoniæ Ducem, & Cantabrigiæ Comitem, & *Arthurum Lord-Capellum*, stipârunt? an tales, inquam, *Sibaldus, Boltónus, Hodgesius*: id illius *Tragici Theatri* propalabunt *Acta*, quæ publici juris & lucis fecit Ambstelodamum.

XCI. Ad MARIAM nos *Stuartam* ut revertamur; Ex hujus generis, infectorum hæresî, *Consolatorum* grege, quendam *Stuartæ*, sub eum ipsum temporis articulum, immiserant ii; qui proprium ipsi, domesticúmque, toties efflagitatum, *mysten* negârant, Judices; *Petrum Borumgum* nomine, dignitate *Decanum*, (utì conjicio, *Petroburgensem*,) titulô littera-

litterariô *Doctorem* illius, quam *Reformatam* ipsi vocant, Theologiæ: *qui* (quò verbis utar Narrationis Londinensis) *eam hortaretur, ut Christo fideret, & Christianè moreretur.*

Quasi verò, quæ *Catholicè* mori se profitebatur, *Christianè* se morituram, negaret? aut, apud eam, *Christo diffidendi*, periculum esset ullum; quæ Christi Crucem gestabat in pectore; Christi morientis imaginem in digitis suîs, ac manu? Transfugeret à Christo; nisi *Borumgus* eam *Prædicans*, inculcans Christum, retineret in Christo? Sed nempe, præiturus Reginam orantem, suîs ipse precibus erat. immò, *prece Dominicâ*, quam præscripsit Servator. At, quibúsnam Latinæ linguæ verbis? Latinè namque docta Regina, Latinîs, tam è libello, quàm memoriâ, precibus illic utebatur. verbîs autem, *Editionis*, à plusquam duodecim retrò sæculis usurpatæ. cùm *Borumgus* è diverso, solo *Vulgatæ* fastidiô contemptúq; stimulante, dicturus è *Versione sua Calviniana* foret; (339) *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus.* & caussam *remittendi* subjungeret, verbîs haud disparibus. *Inimicorum* autem ad amorem hortaretur ità, sicuti Cantabri-

 giæ

giæ Comitem, eodem in articulo mortis oppetendæ, præco Calviniani dogmatis, Sibaldus: *Benedicite eis, qui exsecrantur vos: & orate pro iis, qui vobis sunt infensi.* (340) quæ cuncta *Vulgatæ lectionis* præcepta, majorem habent sententiarum planitiem; & dulciorem, à *Vetustate*, pietatis-gustum. At, *Si non oraret Borungus* (inquis); *certè tamen solaretur.* Nolo verò *Solatium* ab iis, qui *Pacem, pacem*, ingeminant: *& ecce, clamor, tumultus, ac bellum animæ*, pugnáque dissidentis intus conscientiæ! (341) Quid mihi, pectore nondum aliunde legitimîs Ecclesiæ remediîs expurgatô, quid tibi, roboris accedet, inexpugnabilis, ac duraturi; si, quod *Hamiltonio* duci postea *Sibaldus* idem acclamavit, id auribus etiam meis occineret, & tunc *Stuartais* ingessisset: *Spes tua, jam est certa, jam firma, jam Sanguine JESV Christi confirmata; quòd DEVS tibi reconciliatus sit. Spiritus Domini, tibi testis est, quòd Christus, tuus JESVS sit factus* (id est, Salutis, *absolutá certitudine*, consummator; ut adeò Cœli possessione deinceps excidere non possis;) Quid ista, me, quid te, quid *Stuartam*, juvarent? si *Paulus* interim, *tuba Christi*, clangat

gat & clamet, *Cum metu tremoréq; Salutem nostram operandam?* (342) si *Synodi sacræ*, divinis è litteris, vetent, *Seclusâ manifestatione divinâ*, quenquam asserere, *certò Se prorsus, omninóq; de numero Prædestinatorum* (quos vocamus) *esse?* (343) quod utique, cuj *Sibaldus* quispiam id persuasisset, is superbâ secum, & noxiâ temeritate, statueret.

Propter hæc igitur, & alia talia, quæ, timendum fuerat, etiam à *Borumgo* dictum iri; simùl autem, & ejus præcepti reverentiâ, quod à *Christo* relictum piis & *orthodoxis* est, *de fuga pseudoprophetarum*, ac *luporum*, sub ovilla pelle rapacium; à *Divo Paulo*, de *vitandis hominum hæreticorum*, in Religionis negotio, *commerciis* (344); à *Joanne*, discipulorum charissimô, *de nec recipiendis eis, nec saltem salutatione* (tanquam fratrum) *dignandis:* (345) indignè *Regina*, dolentérque, ferebat, simulac notare cœperat, sacrorum non-suorum bajulum, & ministrum, assistentem. nam theatro præsens, ac *Mariæ* proximus, quem dixi, *Borumgus* adstabat. Hic, ut primùm in genua se demisit illa, sermonem ingressus, *de figendâ firmiter in Deo, transmittendâq; totâ spe Salutis, in solum Christum:*

R 2

ſtum : continuò ſilere jubetur à *Regina*, voce clarâ mandante; *Quidvis ageret aliud: occupationem eam omitteret: morti ſe, Deô vires largiente, ſatìs præparatam occurrere.* Cùm *Borumgus* opponeret; *Enimverò nec facturum ſe quidquam, niſi, quod Majorum imperio: nec dicturum, niſi, quod Vero rectóq; congrueret*; & hortari diſſereréque nihiloſecius perſeveraret: *Regina* (cujus, ad ſyllabam apicémque verba, ſicut à præſentibus, iîsque Calviniſequis, excepta ſunt, adfero) vocaliùs exſurgens; *Sile*, (clamat) *magiſter Decane! nam audire te nolo. nihil mihi negotii tecum eſt. diſturbas me. Calvinianus es.* quaſi ſubderet, *cùm ego Catholica ſim.* quo *Catholicæ* vocabulô, tum ipſa Regina, ceu ſanctè glorians ac triumphans, ad extremum uſque ſpiritûs halitum, libenter utebatur: & ego plerumque, cùm res fert, ut ejus adducenda dicta ſint, ea de compoſito, malo ſic ſimpliciter, quàm per circumlocutionem, aut aliâ Græcâ voce quapiam, efferre.

XCII. Cùm appareret igitur; & inutiliter, & contrà, quàm decens foret, inter ſeſe *Reginam*, ac *decanum*, hunc obtundentem, & illam reclamantem, altercaturos;

Comes

Comes Schrasburius, præconi *Borumgo*, ne diutiùs *Stuartæ* molestus esset, silentium indixit. ísque, sed necdum tamen in universum quieturus, ad theatri gradus se retulit: aliquousque, sed ægrè, silens. At Duumvirûm alter, *Comes*, inquam, *Cantii*, quem superiùs retulimus, Illius *sanguinarii concilii* velut redivivum quempiam *Caypham*, exclamâsse; *Non expedire tantùm, sed planè necessarium Reformatæ Britanniæ* futurum *esse*; *Viraginem unam interire, ne tota per Insulam religio pereat*: Is vir igitur, is ipse, *Comes* quidem dignitate, sed cum *Stuartæo* culmine nunquam in contentionem venturus; ut tamen quodammodo natus factúsve videri posset, ad insectandam, jam antè circumsessam ærumnîs omnibus, *Reginam*: etiam tum sugillandum ejus institutum, ritúsque, sibi sumpsit. dissimulantéque per modestam civilitatem isthæc talia *Schrasburio* (cujus in illo tamen conventu partes erant potiores) ipse cœpit in *precum corollam*, & *Crucifixi* præcipuè *simulacrum*, itémque pectoris *auream* illam *Crucem*, invehi: *Cruciari se*, dictitans, *eô nomine, quòd nugas illas, & superstitiones, in manibus ejus, olim sceptro potiùs gestando, quàm*

Maria Stuarta.

ad illa crepundia natis, & assuetis, aspiceret. Hujc illa cùm occurreret: *CHRISTI, sui Regis, in Crucem pro se suffixi, monimentum istud oculis obversari, par esse*: cavillator ille, quasi Gryllus Ulyssem, aut Chœrilus Minervam, docturus; *In Corde,* (succlamat,) *in memoria, non in osse, vel ligno manibúsve nostris, ferendus Christus est.* Quasi verò non, & *intus*, & *foris*, suscitari *Christi* recordationem piam, & liceat, & contingat? Jactabat autem ista, quæ retuli, Cantii dynasta; parùm expendens, Distincta multùm inter se, *Comitis*, & *Concionantis*, esse munia: Lutheróque vel ipso teste, cùm jam morti vicinus ageret, AD aliorum in divinis Instructionem, Vitæ requiri totius Exercitationem, & intimam cum Deo, Virîsque Cœlestibus, conjunctionem. (σ) Id quod à Cantiano procul erat. Subjungente nihilominus eô, ceu viro, longè, quàm par esset, *verbosiore*: Tametsi, piîs apud eam monitîs operam perdi, cernat, & verba; se tamen, ipsius pro Salute, veniâque delictorum ejus, concipere preces ac vota, non omissurum: in ventum verba fusa sunt. Visúsq; prudentibus est, *superbè satis hæc & amarulentè* dixisse, *Cantianus*;

Appendix, ad Annum 1614.

nus ; averſante propterea jactantiam illius *Reginâ* : ſibíque res ſuas, ac preces habere, jubente.

Dum autem in his, *Cantii Comes*, ac *Regina*, ſunt : nactus interim (ut putabat) *functionis* ſuæ *repetendæ furtivam* opportunitatem, *Borumgus* : ad gradus theatri flexîs poplitibus, voce ſonorâ, diſtinctâque pronuntiatione, *Precationem* orditur (uti Calvinianus loquitur Narrator) *efficacem*, *&* *illi tum Actui convenientem*. Quam, quoniam is (homo, trahendarum ad Aulæ regiæ placitum affectionum ſtudioſus, & callidus,) in *Anglorum* reginæ regníque proſperitatem unicè direxerat : ad comprecandam unà, ſpectantium cœtum omnem pertraxit. Ne nihil autem inter hæc ageret; aut agens, oppreſsa contemptáq; *Stuarta* videri poſset, in *Eccleſiam* redundaturô precum ejus deſpectu : cœpit ipſa voce, quàm *Borumgus*, & *populus*, elatiore, ſuámmet ipſa, quam principiò jam inchoârat, orationem, verbîs Latinîs, pronuntiare : *Crucifixi* ſimùl, à Cantiano deriſam, effigiem manu geſtare pergens. Precabatur verò non paullò prolixiùs, quàm *Borumgus*. ídque ſciri, non erit alienum in-

R 4 ſtitu-

Maria Stuarta.

ſtituto noſtro, vel lectoris à pietate: quò reluceat; quàm ea conſtanter *Eccleſiæ* ſenſui ritibúſque, vivens ac moriens, inhæſerit. Precabatur, inquam, inter cætera, quæ temporis erant illius, è *tertio*, quod appellamus, Exſequiarum Nocturnô: *Liberaret eam DEUS à morte ſempiternâ*, nunc, mox, & poſt hæc, *illô die tremendô*; *Quando cœlum, & terra, concutientur: quando veniet, qui judicet orbem terrarum flammîs, & opera mortalium igne diſcuſſionis examinet: die furoris, & iræ: die calamitatis, & miſeriæ; die magnô, cunctíſque gentibus amarô*. Subjecit his, pſalmum Davidis *quinquageſimum*, quo ſuum is, & Bethſabéæ, delictum deflevit. (346)

XCIII. Sub hæc, cùm, manu *ter* expreſsâ Crucis figurâ, frontem, os, & pectus, antiquiſſimâ Chriſtianorum pietate, Regina ſignâſset; de genibus aſsurrexit. Accedit continuò, de quo dixi ſuperiùs, qui ſecutus Reginam in theatrum venerat, *Carnifex*; & à tergo proximus ei, feralis negotii miniſter. *hic*, habitu lictoris; at *ille*, cultu veſtitúque lictorum-principis: amictu quippe, prorſus holoſericô, ſed ornatu cervicum & pectoris, pluſquam patriciô. nam, aurô ſolidô, largè tor-

torquatus, incedebat. (347) Is, positîs humì genibus, necessitati, qua cogatur ei, quod homini charissimum est, auferre, supplex veniam orat. quam *Regina*, promptissimè, statímque, non ipsi modò, qui, compulsus imperiô, facturus officium suum esset, sed omnibus etiam iis, qui jam olim, ac dudum, sanguini suo volentes libentes inhiâssent, dare se, dixit: eâ cordis sinceritate, qua peteret; à DEO misericordî, sua sibi quoque delicta, condonari. (348) Secundùm hæc, in *ardentem* denuò (velut Londinensis loquitur, ísque Calvinianus, Actorum expositor), *& affectibus plenam, precationem*, *flexîs* itidem *genibus* effusa; DEO ter opt. max. supplicare pergit, pro se, suîsque generatim, omnî retrò vitâ secius, ac decuisset, actîs. In hunc autem modum, & pro se Servatori CHRISTO *Stuarta* supplicabat, & pro cæteris; *Placare mihi, clementissime Domine, propitiúmq; te peccatis meis exhibeto. Fateor quidem, indignam esse me divinæ misericordiæ tuæ thesaurô. Sed tu, memento, pro me, peccatîsque meis abluendîs, obitæ diræ mortis. recordare pretiosi, pro nobis effusi, cruoris. MORS tua, mea sit Vita: vulnera tua,*

Maria Stuarta.

mea sanitas: tua, pro nobis, ad necem condemnatio, nostra fiat à noxis absolutio. Nullîs meîs, sed tuæ pro me necis, & cruciatuum, meritîs, à te vitam & felicitatem exspecto sempiternam. Tota mea Spes, tu DEUS es, Amor meus. Non possum quidem, quantumvis vellem, sicut Petrus & Magdalena, sicut Jairus archisynagogus, (349) *sicut cæcus-natus, lumine donatus, advolvi sanctissimis tuis, quibus Palæstinam perambulásti, pedibus. Prostrata tamen, áccido genibus illis tuis, & in cruce pendentibus membris incontaminatis; quæ repræsentantur ab hac, ecce, quam amplector & exósculor, Crucifixi JESU mei figurá; non profundiùs in hac materia suâ, quàm in fundo cordis mei, sculptâ. Profudisti tu, Servator animæ meæ, pro me; quidquid in te Sanguinis extitit. Agè, refundam & ego Gloriæ, placitóq; Tuo, volens ac* lubens, *oblatione* spontaneâ (350) *sanguinem meum.*

Oro te deinde, rex potentissime, Scotorum ego nunc imbellis Regina, pro Regina gentis Anglorum, Elisabetâ (sic enim conveniebat, *Stuartam*, ab inimicis sanæ religionis semper exagitatam, etiam ipsam in extremis imitatricem inveniri, Christi, Stephani, Jacobi; perseque-

quentibus se bona precantium): *precor, ut hæc, ope tuâ, diu, pacatè, bene, populos suos regat; Divinæq; Tuæ Majestatis fidelem se famulam exhibeat. Insulæ præterea Britannorum universæ, prospera sic è cœlo largiaris in terris, precor; ut interim, malis omnibus circumsessam Ecclesiam tuam, memineris Sponsam tamen manere tuam: &, ob hoc, præsidiô tuô, tutelâque, dignam. Ad extremum denique, providentissime DEUS, per quem Reges regnant; à quo contrà deserti, corruunt:* obsecro te *quoque* pro meo, quem *tantùm non* in vinculis genui, filiô *Jacobo, Scotiæ rege. Te præstante, Scotiam justè, pacificéque, civilibus in negotiis administret: Sacra, sacrorum Regi, Vicario tuo, Pontifici Romano, permittat. Sit ipse tuus, in* VERO *tuî* CULTU, *famulus fidus; vivúmq; Romano-Catholicæ, nec alterius alicujus, in Christo membrum Ecclesiæ!*

Cùm *in hunc*, ut dixi, *modum* Regina, palàm omnibus, & clarâ voce, peroràsset; adjectâ quoque *Cœlestium Universorum, ut in eum diem suis se comprecationibus apud Deum juvarent*, invocatione: nequaquam *Angelorum* oblita, particulatim *sanctis eorum manibus* (putà, *ministeriis*) suam, mox jam cor-

Maria Stuarta.

corpore solvendam, *Animam, recipi cœlestem* in regiam, postulavit. (351) Indè, de genibus erecta rursus, componere se morti, securíque percussuræ cervicem aptare, cœpit.

XCIV. Ac primùm quidem, *duabus* adjuvantibus pedisequis, quas secum adduxerat, ornamenta sibi colli, capitísque, vittâ solâ retentâ, demit: peplum, calyptram, caljanticam; cervicum (352) quoque tegumenta, quæqne cæterorum, circa tempora, verticem, aures, nitebant. *Tunicam* dein exteriorem exuitur: quam, dum *eædem*, quas dixi, *virgines* ad lumborum ferè confinia detrahunt, & aliquantò laboriosiùs id agere videntur; *Carnifex*, cum asseclâ suo, venturus in partem operæ, manum admovere nititur. quam hominis audaciam, ne *Scotici* sceptri decus antiquum, & posteritatis gloriosam successionem, inquinaret, anticipans Regina generosa; *Superi prohibeant*, inquit, *hoc nefas! Equidem, in hunc usque diem, tantá præsertim in coronâ spectatorum, ejuscemodi Nobilitatis uti ministeriô, non assuevi.* Quocirca suîs, & famularum, (ægrè licèt *carnifice* cedente) contenta manibus, in reliqua suî spoliatione finiendâ (sicut & antè,) valde-

de festinabat: nequid suî, per moram, præsentium oculîs diutiùs, quàm necessitas exigeret, delibaretur. Quam illius tamen curam, multùm imminuebat; quòd intima demum, è bysso, tunica, domì jam ità sartricis ingeniô, circa collum, & scapularum oras, excisa patebat, in tergo ligamine sic colligente geminas extremitates: ut, cùm feriendæ cervicis tempus esset, momentô resoluta ligula, colli, per omnem ejus ambitum, apertissimam nuditatem exhiberet; & infligendæ plagæ locum inoffensum patefaceret. Restabat, supra pectus, de collo pendens illa, de qua dictum est alibi, *Crux* aurea. quam, ne *Carnifici*, vel impedimento foret, vel ludibrio, donatura puellarum suarum *alteri* Stuarta fuerat. Sed, quamvis *pretium* percussori duplex, in compensationem ejus, offerret; repulsam tulit: à Carnifice scilicet reorum, Regina Scotorum; *Morte, sceptra ligonibus æquante*. Parendum igitur & hîc *Mortis legibus* erat. Tandem, his ità, sicuti dictum est, expeditîs, *Regina* denuò pedisequarum *utriq;* sanctum pangens osculum; *Vale supremum* eis dixit. quod dum facit, puellarum altera, (charitate *Dominæ, postremùm*

mùm videndæ, teneriores ciente ſenſus,) copioſas in lacrymas erumpens; ſimùl *altùm* ejulare cœpit, ac lamentari. *Quid eſt*, inquit Regina, *quòd fles, quòd clamas? An non, vos tale nihil facturas hîc, pro vobis ego ſpopondi, meæ filiæ? Deſinite verò, gaudetéque potiùs, meam vicem. Non enim luctûs iſte mihi, ſed lætitiæ, dies eſt*. Simùl inter hæc, manu ſignum, bene precantis eis, edens; eam, quæ plorabat, ſecedere jubet. Ad *quinque* verò *famulos* vultu converſa, qui non procul indè, *genibus flexîs*, Dominæ ſuæ ſupremis aderant, itidem manu *Crucis* expreſſô ſignô ſuper eos, & felicitatem illis omnem à DEO precata, ſicut modò puellis; mandabat pariter, ut & ipſi viciſſim pro ſe DEUM rogarent; & univerſim, apud omnes, *Catholico ritu finitæ vitæ* ſibi teſtes exiſterent. Quod ut, mereri ſe, manifeſtiùs demonſtraret; iterum iterúmque *Crucifixi*, tunc quoque, ſimulacrum exoſculans, pectori ſenſibus intimis illud apprimebat.

Subitò deindè (verbîs utor Enarrationis Londinenſis) *in genua, magnô prorſus & intrepido procidens animô, nullâ penitùs coloris immutatione, nec ullo formidatæ mortis editô*

ſignô;

signô; dum altera pedisequarum linteô velat oculos ejus, *Regina*, sic humì fixa, pronuntiatione clarâ sonorâque, Psalmum orditur *editionis Vulgatæ* septuagesimum (353), cujus initium est; *In te, Domine, speravi: non confundar in æternum*. Jacebat heroina fortis; & orabat; manuum palmas ambas, eásque pronas, supra pavimentum, ante truncum feralem, expandens; & digitos dispescens. Inclinatô verò constanter corpore, collôque lacteô, quod circumquaque nudatum jam erat, appositè super *truncum* in ictum exporrectô: lictornm alter (quod ei licere non debuerat, in regio corpore,) manus ejus, majorem ad firmitudinem, & stabilitatem, à latere dextro genibus insistens, infrà continebat. A latere verò *Reginæ* lævô, *carnifex* astans, ingentem, & vel aspectu solo terribilem, intentabat asciam: exspectans, quàm mox in cervices Reginæ jacentis irrueret: quæ precari vî validâ, non cessabat; donec ad extremum, voce magnâ clamans, *In manus tuas*, diceret, *commendo Spiritum meum*! quo, tanquam percussionis acceptô signô, manu *carnifex* utrâq; feriens, *semiplágâ* (354) duntaxat, cervicem incîdit; reverentiâ (velut reor)

Maria Stuarta.

reor) & horrore quodam, *victimæ tam excelsæ*, perterrefactus. Repetens autem illicò plagam inchoatam; ne tunc quidem collum persecuit: frementibus, quotquot spectabant, & aspectum avertentibus, ob atrocitatem rei. Diversíque mentium sensus erumpebant: aliîs quidem lacrymas, & commiserationem, non reprimentibus; quibusdam autem & occlamare non dubitantibus: universim demum, stomachantibus, & ne *Cantianô* quidem (opinor) patienter hæc spectante. Postremò, quam *ictu* non potuit, *laceratione* lanius hic, *Reginam* confecit: (355) cujus cruorem, è juguli medio profluentem, à lictore subjecta, *pelvis argentea* suscepit. Sed extra lancem, jam antè sparsô, regiô sanguine natabat theatri pars illa, cui *truncus* institerat, universa. truncus ipse, laniena cruoréque dimanans: pavimenti teges, & asseres, sanguinis circumquaque rivô fluentes. carnificis, & lictoris, indumenta, cruoris aspergine rorantia. (356) Spectatores demum, famulíque, paullò propiùs astantes, supplicii stillîs contacti: corpúsque cæsæ, fœdè concerptô collô, truncatum.

XCV. Quæ (malùm!) tam barbara te, vel

vel *tellus*, Elisabeta, genuit, vel *mater* edidit, aut *nutrix* aluit, aut *institutrix* educavit? Etsi sinè caussa de *tellure* queror, quæ gentis est *Anglorum*; omnis antehac (ex quo tempore Sacra Christiana recepit, semper humanitatis mater, & custos, habita. De *tuâmet* autem *genitrice* queror; cuj sanguis & interitus insontium nunquam non voluptati fuit; ad libidinem ejus ac nutum cæsîs, Thomâ Moro, Joannéque præsule Roffensi; Forestô Franciscano; Carthusianîs, & aliis piis, ac bonis. *Altricem* tuam, non verebor, aut *Neronianam*, (357) aut *Caligulæam* fuisse, suspicari. Cætera *de te* laboriosiùs inquirere, necesse non est. nam *Educatam* te quidē, ab *Hyæna* tali, quæ *Secta*, feritatis est magistra; constat inter omnes: &, *dubium* si cujquam adhuc super eo remaneret; id novissimo *Reginæ Scotorum* isto supplicio dissolveretur. *Securî percutiendam* tradis. Nondum dico, *Quam?* hoc enim inferiùs audies. Interrogo nunc, *Qualem? Nocentem*, inquies. tibi quidem fortassis, & amiculis tuis. Tribunalibus autem æquioribus, & in his, Eboracensis Curiæ Quæsitoribus, *Insontem*. Certéque, non modò non *Convi-*

S *ctam*;

Maria Stuarta.

ctam; verùm, suos potiùs accusatores clarissimè *convincentem*.

Sed sanè, *suspendamus* interim, non verò *demus*, aut concedamus, *Meruisse supplicium* eam, cujus omnia nos *Accusationis* hostilis *Capita* jugulata, difflatáque, superiùs ostendimus: *totùmque*, *maximum*, & *unicum*, illius *Peccatum* fuerit, *EGREGIE fuisse*, constantérq; perseverâsse, *CATHOLICAM*. (358) ideóne tuis asciis *universus* succubiturus fuerat *orbis orthodoxus*: si tu *Mundi* fuisses totius *Imperatrix*; & *Ecclesiæ* quoque Christianorum *Caput œcumenicum*? Sed appende tamen huic *Romano-Catholicæ* religionis *culpæ* (quam vos appellatis) & huic capitali noxæ, *vitæ* quoque, (quos excogitâstis in *Maria Scota*, sed adhuc, tantô pòst, nondum demonstrâstis,) *nævos*: fueritque morte digna vobis, *extera*, nec ullâ suî parte vestri juris, *Regina!* continuóne devolandum fuit ad mortis hoc immanissimum instrumentum, mandante te; SECURIM?

Anglorum id esse dices institutum antiquissimum. Audio. sed, In *Reginarúmne* quoque *cervices*? & hoc, regum, aut reginarum, imperiô? Quid est igitur, *Elisabeta*, quíd-

quídve caufsæ fuit; cur *lex* ea *Securium* laxaretur: cùm, in cunabulis adhuc jacente te, GLADIO fimplice, nec horridioris ullius ferri genere, feriretur, Henrici regis, patris tui, decretô, *tua* mater, *Anna Bolenia?* Quænam autem ea, vel qualis; ad *Stuartam* hanc collata Scoticam? Tua genitrix illa; tui parentis munere, *Regina* quidem, (non diffiteor,) *facta*, *jufsáque*; quin, & *coronata.* fed *Stuarta*, fimùl orta, fimùl eodem momentô temporis in regnum nata. Tua, natalibus fuîs *equeftrem* gradum haud admodum fupergrefsa. (359) *Stuarta*, tot nominis fanguinífque fui reges Scotiæ clariffimos, inter majores fuos; Angliæ verò, Daniæ, Franciæ, coronas, in cognatione, propinquitatéque, numerans. *Mariam Scotam*, cùm innocentis, & inculpati thori, cùm expers omnis fanguinariæ manûs, evinceretur; vos figmentîs *Buchananæîs* traduxiftis, in commercio Sabaudi Davidis, & Bothuelii Comitis nuptiîs: in cæde quoque, quam ipfi procurâftis, Darlæi regis. & ecce, *Bolenia tua*, cujus votis & grato fpectaculo, tefte cunctâ Britanniâ, tot viri clariffimi procubuerunt in hoftiam, Morus, Roffenfis, Foreftus;

S 2 Hon-

Maria Stuarta.

Hongthónus, & Websterus, Carthusiæ primores; Richardus Reginaldus, Theologiæ lumen, (360) & ipsa quoque Regina gentis vestræ, Catharina; Bolenianîs exagitata contumeliîs, ad mortis denique necessitudinem inter ærumnas adacta. *Bolenia*, mulier, cujus exploratis convictísq; libidinibus, & adulteriis, amplexus primò suos, ad extremum verò, colla quoque, stuprorúmque capitalem pœnam, impenderunt amatores ejus; Henricus Norisius, Gulielmus Briertóminus, Franciscus Westónus, regii cubiculi ministri: Marcus quoque Smetónus, phonascus; ac, super hos, *Vice-comes* Rochefordius, *Georgius Bolenius*, ipsius Reginæ Boleniæ (pròh nefas!) *germanus*, & *incesti* concubitûs reus peractus: (361) omnes, ad locum Londinensis urbis, *Towerhillum* vulgò dictum, securî palàm percussi. Cur *æqualis* (rogo) supplicii diritatem, & verò *majorem* etiam, in *Ictu triplici*, subire cogebas, *Elisabeta*, captivam hanc tuam; in criminibus, quorum insimulabas eam, multùm, & numerô disparibus, & gravitate rerum inferioribus? Cur item pœnam eandem, & Regina *casta* fert; & *incesta* reginæ ministri? Quid

Quid ità, geminas etiam inter reginas, ſi vel ambæ fuiſsent nocentes, altera cum noxis innumeris *ferrô mitiore*; cum *umbella* verò, ſuſpicionéque mendacî, facinoris unius, aut alterius, altera *bipennî* mactatur? At, ſi certè reginarum utramque ferrum par, & æqualis acies, ſuſtuliſset; nondum, *Eliſabeta*, ne ſic quidem, orbis æquioris opinionem effugiſses hanc; Te, ſic feriendo *Scoticam reginam*, ad latus *reginæ, matris tuæ*, de compoſito conatam fuiſse, producere culminis æqualis *heroidem*; quam & ipſam par ſupplicium, ac probrum, abſtuliſset: quò minùs erubeſcere cogereris, (è dedecore matris,) Angliæ tu regina; quantò vix-inferiorem erubeſcendi cauſsam, è ſuæ quoque matris exitu, putabas habiturum eſse, *Scotiæ* Regem, *Jacobum*. Et idcirco, vel hôc quoque nomine, nunquam è cuſtodia Fodringhamæa, capite cervicibúſque ſalvîs, emittere Stuartam, decreviſti. Sed multùm hæc *te* fefellit perſuaſio. non fefellit ſenſum ac judicium *ſanioris Orbis*: qui tantùm, inter *Stuartam*, ac *Boleniam*, inter hujus illiúſque cauſsam, diſtinguere noverat; quantùm inter lupam, & oviculam, intérque ſtellam lucidam,

Maria Stuarta.

cidam, & Antarcticis tenebris damnatam noctem.

XCVI. Sed, quæ dicta sunt hucusq;, non *meæ* sunt in Elisabetam *declamationes*; verùm ORBIS melioris, in funere Stuartæo, LACRYMÆ. Longè sæviorem interim Elisabeta *Satyricum*, intrà seipsam, mandatâ peractâque tam atroci cæde, circumferebat.

HÆC, eâ, quæ *Mariæ* necem antecessit, nocte, fertur, ut plurimùm insomniâ, partim autem, (siquando soporis aliquantum degustare cœpisset,) tetricis agitata terrorum imaginibus; participem habuisse turbulentarum curarum, etiam *matronam* illam, (*Staffordiam*, opinor,) quæ soleret prope reginæ thalamum cubitare. dúmque vociferaretur hæc, *Videre se, Scotiæ reginam capite multari, protinúsq; post eam, eádem asciâ, Reginam etiam Anglorum*: exsilîsse lectô narrabant, tanquam *furiis* excîtam, *Elisabetam*: &, angoris impatientiâ, quantâ priùs mandâsset celeritate *Stuartæ* supplicium admaturari; tantâ tunc imperâsse festinatione mitti, qui, Reginæ verbìs & auctoritate, jubéret illud differri. Cæterùm dilationis illum

lum internuntium, Londinô Fodringhamium advenisse; postquam à *quatuor jam horîs antè* vivere *Maria* desiisset. (362)

Utut hæc habuerint se; circumactam ego *Furiîs* sub id tempus *Elisabetam*, dubitare vix ausim: *Furiîs* tamen, nondum adeò *Tartareis* illis, quas sub *Alectûs*, *Megæræ*, *Tisiphonêsq;* titulîs antiquitas theatris induxit: sed *intestinîs* ac *domesticîs*, sub *unius* solius funestæ *Noctuæ* simulacro, *sexcentas* Dirarum facies exhibentibus: sub monstro, dico, SCELERATÆ CONSCIENTIÆ: *quæ* MILLE, *sicut* TESTES, *ità tortores est & Carnifices*. Hæc, tanti sceleris primùm apparatu, deinde consummatione, lancinata; nuntiatâ MARIÆ *tyrannicâ* lanienâ, quásnam potuit, ac debuit, (recenti præsertim re,) benigniores, in mali pectoris carnificina, vel imaginari, vel sentire quoque, voces; quàm hasce furiales?

TU, cùm tui sexûs & ordinis, per terrarum Orbem religiosiorem, facilè deterrima vel esses, vel circumferreris; ausa fuisti necem mandare Principis, ac Reginæ, jam olim, apud exteras quoque nationes, OPTIMÆ titulô gaudentis. TU, pestilentis Invidiæ venenîs infe-

Maria Stuarta.

infecta, vicinæq; majestatis æmulatione pravâ livens, ægrè corporis quoque dotes ejus, & excellentis naturæ præconia, tulisti; cùm Stuarta *passim, & quidem à Tuismet,* (363) *suas inter laudes audiret; PRINCEPS FORMOSISSIMA; Princeps, OMNES ÆTATIS SUÆ PULCRITUDINE SUPERANS. Hunc tu florem ursa conculcâsti. TU Stuartum, fratrem Mariæ spurium, idoneum tibi nacta, Scotiæ turbandis rebus ac religionibus; Knoxio, pestifero sectarum satori, pejùs insuper, quàm venerat à Ramo, corrumpendum tradidisti. TU nothum hunc eundem, post hæc; tu scelestum Buchananum, tu Mortonium, Ruvénum, Lindesium, cæteros, per téque, pérque tuos emissarios, in* Mariam, *rebellione suorum conflictatam, artibus omnibus instigâsti. TU postea literîs nunciisq; perfidiæ plenissimîs, pellectam ad te, circumscripsisti verbis; circumretisti custodiîs; clausam attinuisti* sedecim *carceribus; annorúmq; prope viginti cavernîs, ac solitudinibus, captivam cruciâsti. TU, tribunalis Eboracensis cognitionibus* Innocentem *compertam, sententiîsq; quæsitorum* Absolutam; *proclamâsti,* TE Stuartam, vel Insontem repertam, tamen esse perdi-

perdituram! *& ità fecisti, sicut denuntiâsti.* Quocirca nunc illa jacet, ecce! nec, nisi *die novissimô*, resurget. Illic tunc, duæ vos, unâ convenietis in Valle. sed, vereor, ut Uno Judicis à latere constituræ! *Tardè* locô, statúque, convenietis illic; quæ tam procùl hîc moribus; ac Religione, dissedistis.

XCVII. Hæc, & horum similia, si (quod fieri potuit) *Elisabetæ*, malorum sibi *conscius animus* ingessit, & inquieta gestorum exprobravit *memoria*: numquid non FURIARUM satìs, & abundè, quoquoversum respiceret incederétque, secum traxisse debuit, & experiri? Quam, si cætera cuncta movissent minùs; extra se certè ponere potuerat, ac debuerat, illa, quæ virum quoque sanctissimum *Hieronymum*, semper attonuit, Novissima cœlestium buccinatorum vox ac tuba: quæ *Surgere* jubebit, & *anteactorum reddere rationem.* Tunc, tunc, & *Stuarta*, de qua loquimur, & *omnes* omnium temporum, *per nefas oppressi*, *stabunt*: invictâ *constantiâ* triumphantes adversùm eos; qui per scelus, & calumniam, probra facinorum eis impegêre, quorum hi *ne cogitationem quidem ullam* in se, vitæ totius cursu, susceperant:

Maria Stuarta.

ac ſæpe, flagitiorum ejuscemodi, potiùs *ignorantiâ* per ſimplicitatem laborantes, quàm *effectu* conatúve per *malitiam* occupati, ſuos annos exegerunt.

Neronem, Tranquillus tradit, (364) *perſuaſiſſimum habuiſſe; Neminem hominem eſſe pudicum, aut ullâ corporis parte purum*: hoc eſt, Omnes mortales, credidiſſe, ſuî ſimiles. Et *Eliſabeta*, Judicii *Neroniani* quadam leprâ contacta, fortaſſis idem, ſuo de ſexu, cenſuit; ipſa, formoſos inter proceres, & aulæ Narciſsos, Leceſtrios, Eſsexióſque, cæteróſque, familiariter, & aſſiduè, verſari ſueta. *Suſpendia* verò, *ſecuréſque*, præſertim *orthodoxorum*, ſinè modo finéque mandans.

Hæc igitur, ut & *aliam* ſuæ ſortis oſtenderet, *aliquâ ſaltem ſuî parte*, paribus aſperſam maculis; *Obertô* teſte, (365) Germaniæ propemodum omnibus in angulis habebat, qui libellos (ut & alibi libavi rem) rumoréſque ſpargerent; *à Scota cæſi mariti, fœdati lecti, contemptæq; Religionis.*

Refelli cætera. ſed, quam tu RELIGIONEM, Eliſabeta, dicas CONTEMPTAM; nec refelli, nec adhuc aſsequor. Si *Tuam*, contendas, *contemptam*; ut quæ, *Calviniana*, nec

nec ipſi quidem Calvino placuiſset in fœmina, Sacrorum Anglicanorum *Supremo Capite*: ſanctiſſimè *Stuarta*, rectiſſiméque, *contempſit* eā. Sin *Religionem* deſignes, generatim *Chriſto juratam*: hanc *Stuarta*, non modò nunquam eſt aſpernata, ſed vel maximè ſemper, & moribus eſt, & profeſſione dogmatum, exprimere, maximíque facere, conata. *Vitæ* verò *poſtremus decurſus* adeò gloriam coronavit *profeſſionis* ac Pietatis *Chriſtianæ*; vix ut, addi potuiſse quidquam, judicari queat. *Innocens* fuit; uti monſtrârunt ante me, plurimorum Vindiciæ. *Nocens* interim à grege traducta ſectariorum, in nullo tamen eis viſa dictáq; *nocentior*; quàm, quòd RIGIDE CATHOLICA. Fingamus nihilô ſecius, vel per ſomnium; id eam aliquando fuiſse, quod nunquam fuit; id eſt, *Improbam*. Addamus inſuper, & congeramus in caput ejus, *Impietatem* Jezabelis Sidoniæ; *Crudelitatem*, & Infanticidium, Athâliæ; *procacitatem* & libidines, Cleopatræ, Meſſallinæ, Poppææ, Fauſtinæ, Fredegundis. Harum aliquam produc; & oſtende, relictîs moribus improbîs, amplexam Chriſtum, ſicut *Stuartam* noſtram; inhærentem Chriſti veſti-

Maria Stuarta.

vestigiis, ac vulneribus, ut *Stuartam* hanc; patientem tot annîs, supplicémque toties Deo, pro venia delictorum; *fidei*, Christo datæ, tam firmam ac tenacem; *Spei* fiduciæque tam immobilem; *sanguinis*, pro DEI gloria *profundendi*, tam avidam; in ipsa denique regii cruoris effusione, *DEUM super omnia diligentem*, *inimicis injurias condonantem*, &, halitûs supremi clarissimîs vocibus, *In manus* JESU *tradentem Spiritum suum* (ut hæc omnia MARIA fecit STUARTA): dubitare quisquam pius, doctus, ac prudens, audeat; *Animulam* ejusmodi, migrantem terrîs, receptam Cœlo? *Vitâ vivet, & non morietur*! clamat, Ezechielis ore, divinum verbum, ac Jusjurandum. (366) Aude nunc, aude, *malè felix Elisabeta*, tuam, mollibus in culcitris post hæc óbitam, *supremam horam*, componere, tuîs cum lamentis & querelis. pacatissimo promptissimôque *Stuarta*, sub ipsis jam asciæ plagis, excessui! Peream ego! nisi sic cum Scota *mori* malim; quàm, cum *Angla* vel annîs mille *vivere*!

TU quidem, importuna *Dictatrix*, omnia, quæcunque *Stuartæ* cruore quoquomodo contacta (367) fuissent, tolli mandâsti;

sti; lymphis elui; flammis absumi; flumini, vel ventis, avehenda tradi: theatri feralis pannos, asseres, truncum, indumenta lictorum; &, quid non, præter hæc? NE (velut ajebas) SUPERSTITIONI servirent ulli: (Superstites putà, quasi *Martyris* cujusdam, RELIQUIÆ *Catholicis* futuræ.) Quod imperâsti tunc; id perfecisti. STUARTÆ, Regii-cruoris, amictûs, ornamentorum, *relictum* piis nihil est. *Unum*, & *unicum*, ex ea *relictum* sic est, apud Mundi quoque Reges & Principes, (quorum, hac in Cæde, despecta Majestas, & respectus, est,) ut aboleri nequeat: REGINÆ nobilissimæ, sic, à tali Regina, trucidatæ, MEMORIA SEMPITERNA.

XCVIII. Quæ narrata sunt hàc tenus; ea *promissum*, operis hujus fronti præfixum, *exsolverunt*: ut *Mariæ* nimirum *Stuartæ*, Scotorum Reginæ, *viventis* ac *vivere desinentis*, Acta potiora sub conspectum darent. Addamus nunc, & *quæ promissa non fuerunt*; nec ingrata tamen fortassis accessura. Sunt autem, tanquam ex abundanti, pauca nonnulla; quæ, Reginæ mortem consecuta, pertinere nihilô secius ad illius illustran-

ſtrandam gloriam utcunque poterunt. Nam & *aridæ* jam *roſæ*, ſuus tamen adhuc aliquis halat è foliis odor; & palmæ, terebinthíque, vel ébeni ſtratæ; pondere, pretiôque quodam ſuô, ſuperſunt, ac vigent. Spectant autem hæc tripartitô; *pars* ad *corpus* Stuartæ, *pars* ad *Animam*: alia demum, ad *famam*, ac memoriæ celebritatem.

In *Corpore*, nihil æquè conſpicuum, atque CAPUT eſt. Hoc, à Stuartæ cervicibus revulſum, torquatus ille, quem deſcripſi, lanius, manu ſublatum, non clementiùs aliquamdiu præſentium oculis oſtentavit, quàm paullò priùs decollârat. Tanquam enim præclarè geſtâ re, ſicarius hic, cuj pro cæde tam indoctâ, cædes par debebatur; jactare ſe modô quodam auſus eſt: ac, quaſi populi totius, & regni, *Calchas*, hâc *Iphigeniá* mactatâ, preces & vota præiturus *vates*, & aruſpex; *primus* exclamavit, (*carnifex* ajo) *DEUS incolumem ſervet Reginam Eliſabetam!* (368) Quem *augurem* ſecuta ſpectatorum turba tota, pariter exclamavit & ipſa; *DEUS ut ſervaret Reginam ſuam: sicque perirent* (utì Scota periiſſet) *hoſtes univerſi Verbi-Dei, ſuæq; Majeſtatis inimici!*

Appendix, ad Annum 1614.

mici! Nempe, vulgus id, & hæresis, precabantur, & imprecabantur: malis bona, bonis mala; variabilis, ad omnia fortunæ flabra, Sectarum sensus! & Eurípus mentium, fluens, ac refluens: ante paululum, laniatæ Scotæ miseratione stricta, corda; nunc eandem diris devoventia: summatímque, fluctus animorum, flentium scelus, quod in moriente regina fiebat; & mox in mortua, quod fleverant, idẽ facientium. Reddet dies ultimus unicujq;, pro meritorum habitudine.

Cadaver regium, ipsa, vivens adhuc, Regina, transferri desiderârat, ex Angliæ terris in aliquam Galliæ, sectarum intactam, urbem. eâque causâ, quæ funeris, & exsequiarum forent, exactè suîsmet ex impendiis, ac censu, descripserat. pro *Corporis* autem, quam memoravi, *translatione*, supplicârat intentîs precibus *Elisabetæ*: suíq; desiderii tanti caussas, etiam *Pauléto*, fatalem jamjam accessura truncum, palàm exposuerat. Cùm autem nec apud illam preces, nec apud hunc ullæ precum rationes, profecissent; ídque significatum Reginæ domesticis fuisset: ne nihil tamen ad dominæ suæ Suprema, Justáque funebria, contulisse, fideles *saltem famula*,

mulæ, dici poſsent : *Pauléto* tantumnon ad pedes gynæcéum *Stuartæ* reſiduum acceſſit; petentes, ut, amotô, qui negotium id pollinčturæ ſuſcepturus adſtabat, *Carnifice*, ſibi ſolis fas, & facultas eſset, amičtum detrahendi; corpus ablnendi; capútque cum cadavere decentî ſepulcrô condendi. Sed repertus eſt idem & tunc, qui ſemper antehac, *Paulétus*, cum monſtro ſupercilioſi vultûs; quîque plus in capite gereret imperiorum Eliſabetæ, quàm legum & urbanitatis Eutrapelîæ. Repulſæ virgines ab officio ſunt; & admiſsus *carnificantium* globus: ut idem & munere fungeretur *veſpillonum*, in regio collapſæ-Scotiæ conditorio. Sitícines hi, pròh nefas! nudavêre *Stuartam*; inſpexerunt; in cubile vicinum aſportatam, depoſuerunt. ubi jacuit, quoad, per Veris humidi clauſum parietibus aërem, trahere ſitum, & concipere putorem, cœpit. Tum enim demum, *Eliſabetæ* permiſsu, delibutum inunčtúmq; balſamô, cadaver; feretro plumbeo fuit illatum. indè, *Fodringhamiô*, nullâ penitùs exſequiarum celebritate, funerísve cærimoniîs, translatum eſt *Petroburgum*: oppidum, ad amnem Nynem ſitum. Illius oppidi

oppidi templo *Maria Stuarta* cóndita, tectum habuit cum *Catharina* reginâ, (quæ conjux Henrici fuerat Octavi,) commune (369): quievítque, nemine *Ministrorum* regionum illarum illi REQUIEM exoptante, per annos *septem* & *viginti*.

XCIX. Sed, quid illi curæ de *Carne*, quæ die sæculorum novissimô secutura *Spiritum* erat; dummodo bonô felicîque, post obitum, locô situs foret Immortalis *Animus*? Et verò non infeliciter actum cum *Anima* Stuartæ fuisse; suadent, ut credamus, innumeræ, quæ peti ducíque possent, è divinis pariter & humanis indiciis, conjecturæ. Sed, in ea diffundi, non vacat nunc. Breviaria nobis *axiomatum sacrorum* sufficiant. & horum quidem ipsorum, unum alterúmve, sexcentorum instar. Qualia sunt: *Beatos esse, persecutionem patientes, propter justitiam*, ac rectum DEI cultum. *Beatos, quotquot in Domino moriuntur*: utpote, *quos* illuc *Opera sua bona sequantur*. (370) *Non privatum iri bonîs* cœlestibus, *ambulantes* hîc *in Innocentia*. (371) NOCENTEM autem fuisse Stuartam, *nec unus*, coràm productus, docuit, multóque mi-

T nùs

Maria Stuarta.

nùs evicit, *testis*. (372) Eboracense tribunal, condemnare Mariam non potuit. Elisabetæ verò, *quæsitus* in eam *rigor*, *etiam absolvit*: &, *in propria causâ judex*, *eâq; mulier*, *etiam ream fecisset insontem*. Ne multis! Sinè macula vitæ graviore, *Stuartæa* controversia stetit, in prætoriis humanis. Sinè vitiorum sordibus, ante thronum *Agni cœlestis*, defunctæ Spiritus; ut meritò confidunt, quotquot piè judicant: ac, siquibus (ut humana sunt,) aliquando nævîs aspergi visus fuisset; ejusdem illius *Agni*, peccatô carentis, ac *propriô* quoque cruore fusô, sub bipenni, *Stuartæ* sibi restitutus candor ac splendor est.

Ad summam! Quàm *fortunatas* ad *Insulas*, Albiónis ex insula funestâ, post emigrationem suam, Reginæ Scotorum ANIMA transierit; eò, quòd à tenore constantiâque recti nec hilum discedere spirans exspiránsque decreverit; duci conjectura, vel ex eo quoque, possit; quòd, in locum, multò feraliorem, à morte relegatos fuisse, satìs constet, eorum quosdam; qui, cum STUARTA nuper viventes, à *Stuartæ* tamen, partim *Religione*, partim *Æquitate causa*, per nefas

nefas recesserunt: & inextinctâ Numinis offensâ mortalitatem finierunt. *Non reliquit*, nec Stuartæ rectum iter indefensum, nec *seipsum* DEUS (ut illius vindex,) *sine testimonio*: quod, ubi viventes tacerent, ibi mortuorum linguæ promerent. Quo locô (quoniam ad *Apparitiones* venimus, & *phænomena subterranea*,) patiatur adversaria pars, me scribere, quod nunquam illa credet: cùm & ab ipsa scribi multa quotidie patiamur, quæ nos invicem nullo tempore credemus. *Condimus nos ista, nostris: illi sua, suis.*

C. FUIT in Scotia primariæ nobilitatis matrona; quantùm ad maritalem attinet stirpem, *Elphinstonia*; quà verò proprio censeretur ortu, *Stuartææ* propinquitatis, ac *nominis*: quippe, *cognationis alterô gradu*, MARIAM Stuartam, Scotiæ reginam, attingens. Hæc, anno sæculi superioris sexagesimô tertiô, decimô quartô mensis Aprilis die, filium ediderat, *Guilielmum* nomine; qui, posterîs annis, inter æquales, & cognatos ephebos *Jacobi* Sexti, Scotorum regis, institui cœpit, & educari; sub *Buchanani* Puritanâ disciplinâ. Sed is, post hæc, variîs rerum in Scotia mutationibus intersili-

T 2 enti-

Maria Stuarta.

entibus, in terras ablatus transmarinas, & itinerum ambagibus *Neapolim* appulsus *Italicam*: ibi demum *portum* intravit, quantulùm vixit, *Religiosi* cujusdam *cœtûs*: ac, vitâ post paullulum decursâ, *Sinu* receptus est *patriæ cœlestis*; ut omnes, qui circùm eum tunc erant, nullâ reclamante dubitatione, tenebant. Decesserat enim, cum virtutum odore suavissimô, latè sparsô; neque sinè manifestis animæ, *Paradiso* receptæ, notîs, decimô sextô Calendas Majas, anni, qui Sæculi fuit illius octogesimus quartus; trienniô priùs, quàm Maria cognata Fodringamii carnificis securi succumberet. Maluit hic, in peregrinatione sua, Calvinô, (quem adolescentulus imbiberat,) regestô rejectôq;, respicere familiæ suæ paternum consanguineum, sibi cognominem, *Gvillelmum Elphinstonium*: quàm, propinquiores origine, sed à via pietatis alieniores, parentes. Ille namque, Magnus regni Scotici *Cancellarius*; & Episcopus, sub hæc, Aderbonensis: Academiæ quoque, nominis ejusdem, & Collegiorum litterariorum, suîsmet impensîs auctor, ac positor; animi sapientiâ, morum sanctimoniâ, Religionísque veteris ardentissimô studiô,

ſtudiô, gentem ſuam, & Scotiæ regnum univerſum, in paucis ipſe conſpicuus, illuſtrârat. *Parentes*, è diverſo, *junioris Elphinſtonii*, relictô ſacrorum orthodoxô lumine, paſſi fuerant, in tenebras abripi ſe Cnoxianorum, & Sophocardii, *fumorum*; quos ii tunc per Scotiam pro DEI VERBO *venditabant*. Ac ne tunc quidem, poſtquam, è Galliis reverſa Stuarta regina, vidua, paſſim omnes, & ſuam maximè propinquitatem, verbîs & exemplô revocare cœperat in *Eccleſiæ* legitimam viam; ne tum quidem, inquam, id reverentiæ cognationi regiæ, parentes Elphinſtoniani tribuebant; ut reſipiſcerent: ſed in errore perſeverârunt; & in eo, *mater* præſertim Guilielmi minoris, ante ſenium extincta. Super eo porrò rerum eventu mœſtus *Guilielmus filius*, jam Eccleſiæ veræ membrum effectus, & extra Scotiam agens, *Guilielmo* cujdam alii, *Cheiſolmio*, conſobrino ſuo, contubernalíque, die quodam triſtiſſimus aſſeveravit: Noctu viſam ſibi *Matrem*, formâ miſerabilî præſentem, adſtantem, & clarè profitentem; *Se Matrem ejus eſse. Quemadmodum autem felix eſset ipſe, viâ, qua duceret ad Salutem æternam, apprehensâ; ſic*,

T 3

Maria Stuarta.

sic, è contrario, millies infelicissimam se: quippe, flammis addictam sempiternis. Interrogatam sub hæc à se, *Num illis in incendiis & excelsa torquerentur hujus mundi capita?* Torqueri, respondisse, ne dubitaret, (& quidem multa,) pœnîs inferîs, & incendiîs atrocioribus, multôque profundiùs, *quàm plebem,* involuta. Sic fatam, videri desiîsse. (373) TANTO stetit, stabítq; perpetuîs sæculis, huic miserrimæ; non institisse cognatæ STUARTÆ saluberrimis monitis, & firmitudinis exemplîs!

CI. Palàm facit hæc narratio, quàm malè sit actum cum ea, quæ *Sacra* projecit *consanguinea Regina*: nec ea, cùm deberet, & posset, ac stimularetur, resumpsit. Ne prætereamus igitur, nec eum, qui *Stuartam* ipsam, *ejúsq; causam*, ad tribunalia *deserunt.*

Comitiis regni Londinensibus, quibus postremò relatum ad Ordines congregatos erat, de Regina Scotiæ, Stuartâ, tanquam perduellionis adversùs Elisabetam convictâ, (quæ convicta tamen revera nequaquam erat,) interfuerat, ac sententiam dixerat, Anglicanæ nobilitatis dynasta, *Baro Sturtónus.* Is, aliquantô pòst tempore mortem obierat, sed

ſed vitæ delicta (quippe *Catholicus*) orthodoxo Sacerdoti , priusquam emigraret , magnâ pœnitudine confeſsus ; &, culpâ tenus, expiatus. Pro cujus tamen *Animæ* quietiore ſtatu, non ità multò poſt funus, ſeu ſponte ſuâ, ſeu rogatus à defuncti propinquis, ad offerendam *Salutis hoſtiam*, ſe contulit; & ad *Oratorium* ædium ſibi notarum abditum, ſed frequentî ſatìs comprecantium cœtu refertum, habitu diſſimulatô, venit, *Joannes* quidam, cognomentô *Cornelius*: oriundus ab Hibernis, ſed natus in Anglia nobilibus parentibus. Acceſſit autem eodem & *laicæ* conditionis alius, maturi judicii, Joannis aſsecla, deincépsque comes ejus, ad uſque mortem, individuus: & tunc, Corneliô litaturô, miniſtri partes obiturus. Ventum erat ad Sacrificii divini dimidium; elevatô jam ad adorationem conſuetam *Venerabili Myſteriô*: cùm ab initio precum illarum, quæ peraguntur ad *Memoriam* uſque *Defunctorum*, Cornelium myſten extra ſe rapuit, & in opere ſacro prolixiùs attinuit, oſtentum terrificum. quod, qualénam eſset, *Sacrificans* ſolus, & ſacrificanti *famulans*, clarè cernebant. cæteri verò, qui co-

Maria Stuarta.

ràm, & circùm Aram ſupplicabant, atrox quiddam eſſe, ſuſpicabantur veriùs, quàm aſſequebantur; è *luce*, quam ex altaris alterutro cornu promicantem animadvertebant, caliginosô miſtam horrore, vivorúmque carbonum ſanguineô fulgore ſcintillantem. Suspenſi ſtabant igitur, ac trepidantes omnes; avidi ſcire, Quid iſta portenderent? Sed ignorantiam eorum, narratione rei geſtæ, Sacerdos, ac Sacri miniſter, ſuſtulerunt. Expletâ namque re divinâ, vir, omnî fide digniſſimus, *Sacerdos*, ad populum converſus, ac verbîs, in Apocalypſi clamantis vocis cœleſtis, exorſus, BEATI MORTUI! QUI IN DOMINO MORIUNTUR! *Sic* (inquit) *ſic, filii filiæq; DEI, tranſigite vitam; ut in Chriſto, quietéque ſempiternâ, mors eſſe veſtra mereatur. Mihi Deus oſtendit, eô Miſſæ ſpatiô, quô productiùs ſolitô moratus ſum ad aram*, Sturtóno barone, *pro quo litavimus in terra, quidnam fiat infra terram. Ego Joannes Cornelius*, (pergit, in lacrymas ſolutus,) *ego frater veſter, & ærumnarum veſtrarum particeps; vidi ſylvam, magnitudinis immanis: vidi ſylvam flammarum, unô flagrantem incendiô continentî: mediôque flammæ crepitantis*, Animam

mam Sturtóni baronis, *humani corporis habitu conspicui*; *necnon*, *è capitis solito calvitio mihi cogniti* (*nam*, *ut meministis*, *glabri sincipitis in vita fuerat*) *crudelia patientem*. *Audivi quoque*, *dirè stridentem*, *ac lamentis miserabilibus ejulantem*; *ob vitæ præteritæ memorabiliora quædam*, *nec adhuc ad assem novissimum exsoluta*, *delictorum nomina*. *Singillatim autem in se* Sturtónus *accusabat*: *quòd*, Catholicus *cùm esset*, *animôque nunquam esse desiisset*; *inter allophylos tamen Anglos*, *ne diversum ab iis sentire videretur*, *ignavâ vecordîque dissimulatione*, *nonnunquam*, *velut unum ex illis*, *sese gesserit*: *ubi publicæ religionis incorruptæ professio*, *tam è sua*, *quàm aliorum re*, *futura fuisset*. *Quòd item in Aula quondam*, *aulicè magis*, *quàm* piè, *versari suetus*; *more paganô potiùs*, *quàm Christiano*, *solutiùs multa dicere*, *facere*, *præ se ferre*, *cum offensione mentium teneriorum*, *ausus esset*. *Quòd denique* (ponam *propria Sturtóni verba*,) quòd eorum *ipse quoque* fuisset è numero, quorum suffragatione perierat *INNOCENTISSIMA* Scotiæ Regina: *piaculô*, *jam antè quidem per pœnitudinem retractatô*, *sed adhuc pœnæ reliquias*, *ut debente*, *sic dante*. *Tam*

T 5 *autem*

Maria Stuarta.

autem profundè mersus dabat has Baro *pœnas; at è flammis solo vultu, capitisque vertice, conspicuus extans, alto simul ululatu vociferaretur*, Misericordiam *ingeminans, imploránsque, Jobi verbîs* (374), amicorum saltem suorum: *eò, quòd vindice Divinæ manûs tactu premeretur, & æstuaret.*

Hæc, in gradu stans aræ, multúmque flens, Sacerdos *Cornelius*, invicem effusè flenti multitudini (quæ capitum erat circiter *octoginta*) narravit. Cuj talia dicenti fidem conciliabat, non modò pars, luridè micantis, *lucis*, ab omni cœtu (velut dixi) conspecta: sed & is, qui sacrificanti minister adstiterat; éadem omnia, vidisse se quoque, quæ Sacerdos retulerat, éadem & audîsse, contestando. Maximum autem auctoritati verborum *Cornelii* pondus appendit, & *Vitæ* tunc insigne meritum; quo fulgebat apud omnes, exemplar ipse virtutum, ac sanctimoniæ, multîs annîs: & postea, *decus mortis*, pro tutela Catholicæ Veritatis & Caussæ, Dorcestriæ toleratæ, die tertiô Julii mensis, anno sæculi superioris nonagesimô quartô, vivente, nec adhuc cessante tunc exstirpare Pontificios, Elisabetâ Bolenianâ.

Stur-

Sturtóni porrò *Baronis* illa posthuma calamitas, & è flammis ejulatus, accidit intrà septennium illud, quod inter cædem reginæ Scotorum, & suspendium laniénámque Cornelii Sacerdotis, intercessit. quod ostentum ità se, quemadmodum retulimus, habuisse; sinè retractatione secum in *regnum* intulit *Æternitatis*, non *Joannes* hic *Cornelius* tantùm, ex *Omagaunorum* stirpe nobilissimâ testis irreprehensus: verùm ille lateris quoque Corneliani, non inter *sacrificandum* modò, sed in omni deinceps *vitâ* viâque, comes; *ad mortis usque* (sicut Alegambe loquitur) *consortium*. (375) QUI non discessit à scalis magistri sui funeralibus; cur recesserit à narrantis, sibi quoque compertâ, *Veritate?* Quod utinam sedisset animo quoque *Sturtóni Baronis!* ut ab *agnita* semel *Innocentia* Stuartææ certitudine, per *calculi* præcipitium, non declinâsset! Quid agendum esset, in judicio ferali; scivit. sed, *ut ageret bene*, suffragii lator, *intelligere* vel *noluit*, vel veriùs timuit: secutus in ferenda sententia, non *jus*, ac fas, sed *turbam*: adversùs cujus prævaliturum *Iniquitatis* torrentem, suam Unius *absolventem* voculam, vidit utique profutu-

Maria Stuarta.

futuram Stuartæ *nihil* : & Sturtóno nocituram, ex dissensu, *plurimùm*. Sed, quid tum? *Stetisset Justitia: cecidisset Mundus!*

CII. Dicta sunt isthæc, & hucusque, de Statu *Corporis* Mariæ reginæ, post ejus è vita discessum. dicta quoque, de *Spiritûs*, in loca feliciora, transitu, nulli Piorum dubitabilî: quippe, gloriosæ Viraginis *Innocentiâ*, testimoniîs etiam plusquam humani tribunalis, ac fori, confirmatâ. Restat FAMA decollatæ *Stuartæ*: quam famam, Exsequiæ vulgò, Sepulcráque, vel celebrant eximiè, vel contumeliosè deturpant.

Posterius horum, apparet, ab *Elisabeta* quæsitum in *Stuartæ* fuisse funus: ne careret & hôc opprobriô. Quamvis enim hæc, auditô, cecidisse Fodringhamii Mariam (votorum suorum victimam principem) lætioribus exuta, lugubria sumpserit indumenta; mœstitiam præ se tulerit; fremitu dolorem ostentârit, adversùs eos, qui decretum sibi cruentum extorsissent; *Davidsónum*, à Secretis sibi, ceu præfestinum in eo Sanguinis negotio, pecuniâ multârit, & carcere; semetipsam denique, primum statim ad supplicii nuntium allatum, in silentii solitudinem abstruse-

truſerit: Quamvis, inquam, hæc *Eliſabeta* fecerit; omnia tamen iſta, non mœror erant, Stuartæis tributus honoribus, ſed mœroris ludicra ſimulacra, *foro* temporíque *data*.

Nam, & poſtridie ſtatim cædis, Londinum allatô rumore, diſcurſum urbe totâ, cum lætitiæ ſignificationibus eſt: ignes feſti paſſim, & palàm, excitati; compulſata de turribus *æra Campana*; geſtis *Eliſabetæ*, cum ævi longi votis, applauſum; *Stuartæ* verò, non ſinè Diris, reclamatum eſt. parúmque viſus, (in Regia præſertim) *Anglicanus* erat; qui *Scotæ* morte tantummodo parùm, ac jejunè, lætaretur. Hæc omnia, videbat, audiebat, ferebat, *Eliſabeta*; flens *Julianîs*, ad Pompejani capitis aſpectum, lacrymîs; *pectoréque læto gemitibus expreſsîs*, ſingultiens. (376) *Apologiâ* præterea conductâ, ſua contra Scotam Acta, per terrarum orbem populis approbare, ſatagens; *Stuartæ* nomen ac geſta, paſſim, ac fœdè, lacerabat. *Tumulum* ipſius neglectum, & inhonorum, ſinebat.

Sed, quid horum, MARIÆ cineres urebat? quid *Animam* ejus affligebat? in beata jam utique requie ſitam, ac reſpirantem? Male.

Maria Stuarta.

Maledicat illius laudibus, unius Insulæ pars una, vel angulus: in cœlum ferat eam, concors religiosioris Orbis auctoritas. Laudet te bonus, quisquis bonus es. Laus impiorum, ac vituperium, in pari statera sunt. Malô dignus est; quisquis probus, ab improbo se rumore malum credit. *Morum* censurâ, non *dicteriorum*, ponderamur. Fatuus est; qui fatuorum sermonibus arietatur, & labat. Quòd si verò *Potentia* Probitatem urgeat, & calcet: etiam funerata jam *Virtus*, etiam sepulta, de saxi tamen mole caput proferet; atque revirescet. Ut proinde *NEMO celsiùs Innocentiam levet, quàm, qui nimiô-plus eam premit*: sicut Elisabeta Stuartam, nihil minùs ipsa quærens, extulit. Carcer illius, & latebra *viceunis*, huic lucem attulit *omnium Seculorum*.

Vixit hîc *annis* STUARTA *quadraginta quatuor* (377). Vivet in ore, sensibúsque bonorum, *totam æternitatem*. quam ut & in *Memoria* posterorum omnium haberet illa; *Filius* ejus, Rex, Elisabetâ potente potentior, cùm *Petroburgô* denique *corpus* maternum *VVestmonasterium* transtulisset: hôc *Cineribus* illius erectô mausoleo, JACOBUS

COBUS I. effecit. Qui conditorii verba *leges*; ex his, quæ ſcripta ſunt hucuſq; (modò livor abſit,) *intelliges*. Ad *Monumentum* iſtud, hæc, à lucubrante me, *Lampas* eſto!

D. O. M.

BONÆ MEMORIÆ, ET SPEI ÆTERNÆ,

MARIÆ Stovardæ, (378) Scotorum Reginæ, Franciæ Dotariæ, Jacobi V. Scotorum Regis filiæ, & Hæredis unicæ: Henrici ſeptimi Angliæ Regis, ex Margaretha majore natu filiâ, Jacobo quarto Regi Scotorum matrimoniô copulatâ, proneptis: Eduardi quarti Angliæ Regis, ex Eliſabeta, filia-

(378) Maria Stuarta.

liarum ſuarum natu maximâ, abneptis : Franciſci Secundi, Galliarum regis, Conjugis : coronæ Angliæ, dum vixit, certæ & indubitatæ hæredis ; & Jacobi, Magnæ Britanniæ Monarchæ Potentiſsimi, matris : ſtirpe verò Regiâ & antiquiſsimâ prognatæ.

Erat maximis totius Europæ Principibus agnatione & cognatione conjuncta : & exquiſitiſsimîs animi & corporis dotibus & ornamentîs cumulatiſſima. Verùm, ut ſunt variæ rerum humanarum vices, poſtquam, annos plus minùs viginti in cuſtodia detenta, fortiter & ſtrenuè, ſed fruſtra, cum male-

malevolorum obtrectationibus, timidorum suspicionibus, & inimicorum capitalium insidiis, conflictata esset; tandem, inaudito, & infesto Regibus exemplo, securi percutitur: &, contempto mundo, devicta morte, lassato carnifice, Christo servatori animæ-salutem, Jacobo filio spem Regni & posteritatis; & universis cædis-infaustæ spectatoribus, exemplum patientiæ commendans; piè, patienter, intrepidè, cervicem Regiam SECURI MALEDICTÆ subjecit: & vitæ caducæ sortem, cum cœlestis Regni perennitate commutavit. 6. Idus Febr. Anno 1587. ætatis 46. — (379)

Maria Stuarta.

IN HISTORIAM
MARIÆ STUARTÆ,
TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *In Academico templo, Dilingæ.* (2) *Florimund. Remond. de Ortu & progressu hæresum, lib. 6. cap. 19. fin. & Chronologia Coloniensis, initiò.* (3) *Sic numerat Famian. Strada, lib. 8. decadis 2. pag. 471. editionis Batavicæ, in 12.* §. Et profectò. *&c. At, juxta numerationem meæ Panegyris, è Chronologia Coloniensi deductam,* §. Quarto Calend. Augusti, *Maria Stuarta, regina Scotica fuit centesima septima: adeòque, Jacobus Quintus, pater ejus, Rex Scotiæ Centesimus sextus. Ad hanc, tam numerosam Regum Scotiæ successionem, Mariæ Stuartæ avum præcedentium, respexit & Georg. Buchananus, in Programmate Psalmorum Davidis cantans;*

Nympha, Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ,
Missa per innumeros, sceptra tueris, avos:

(4) *De cæteris, à Jacobo V. Scotorum rege sublatis, & exagitatis, Sacrorum desertoribus, & hære-*

Appendix, ad Annum 1614.

hæreticis; vide Lesslaum antistitem lib. 9. Scotic. histor. &, ex eo, Appamianum, in Continuatione, anno 1539. num. 7. De Buchanani *verò proscriptione, lege Decadis 2. librum 8. Famiani Strada, pag. 486. ante med. §.* Auditâ morte. (5) *Diem* octavum, *ab ortu Mariæ, assignat Chronologia Coloniensis, vetustior. Strada, pag. 471.* septimum. (6) *Auctor narrationis supplicii Stuartæ, Londini, & Ingolstadii, typis vulgatus, pag. 93. fin. & 94. princ. in forma 8. Strada quoque, decad. 2. lib. 8. pag. 471. med. Et hujus pulcritudinis, ac suaviloquentiæ, vivam Stuarta imaginem retinuit, etiam quadraginta jam quatuor annorum natu, sub ipsam mortis horam: ut partim effigies ejus monstrat; & inferiùs quoq;, suô locô, dicetur.* (7) *Annum hunc mortis Francisci II. regis, adnotavit Buchananus quoque, lib. 17. histor. Scoticæ: Diem verò (qui S. Barbaræ Virg. & Mart. sacer erat) Chronologia Coloniens. suprà citata.* (8) *Libro 3. regum, cap. 1. v. 3.* (9) *Colligitur id è Chronologia Coloniensi, §.* Succedit illi. *& ex anno mortis ejus, paullò suprà assignatô.* (10) *Lejtha, vel Lejth, geographis, ad litus æstuarii Forthæ (seu maris Scotici) supra Edynburghum urbem.* Lethæ-portum *nominat*

nat Franc. Sacchinus, histor. Soc. P. 2. lib. 6. num. 106. (11) *In Jod. Hondii Atlante, tabulâ Scotiæ Meridionalis, pag. 50. invenio quoque filium Jacobi V. Scotorum regis, naturalem alium, Joannem nomine; sorori Comitis Bothvvelliæ Jacobi matrimoniô junctum. Apud Buchananum quoque Joannes est.* (12) *Lib. Sapient. cap. 4. versu 3.* (13) *Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 472. cum nonnullis aliis,* Moraviam: *alii* Morraviam, *nominant. Barnestapolius pag. 13. de Stuarta Innoc.* Murravium *Comitem vocat: ut & pag. 58. J. Hondius, & Jo. Jansonius, in tabulis Scotiæ, regionem* Murrayam: *quò discriminetur à* Moraviæ *Marchionatu Germanicô, sicut terrîs, ità quoq; vocabulô.* (14) *Loca & ædificia ascetarum. Vide Heribertum Rosvveydum, in Vitas Patrum.* (15) Princeps, de plenitudine poteſtatis, legitimare poteſt. *&c. Alex. conſ. 228. inc.* Viſis Codicillis. *&c. Cæterùm, spurii Jacobi evectionem ad Comitatum Murrayanum, Buchananus lib. 17. pag. 611. post med. ait accidisse, post reginæ reditum è Galliâ.* Strada *verò sentire videtur, priùs jam id accidisse.* (16) *Valerii Max. sub Tiberio scribentis, vox est lib. 5. cap. 3. non tamen ultra titulum. Istam porrò spurii* Ingratitudinem *notavit*

vit etiam Barneſtapolius, pag. 13. ad med. (17) *Ad Atticum.* (18) *Tom. 2. hiſtor. Societ. lib. 6. num. 106.* (19) *3. Reg. 18. v. 19. &c. Ubi ſic ad Achabum S. Elias loquitur.* Congrega ad me prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetáſq; lucorum quadringentos: qui comedunt de menſa Jęzabel. *&c.* (20) Diaria, *non ſunt ἐφημερίδες tantummodo pagellæ, ſicut vulgò; ſed (ſicut hôc locô) quotidiana ſtatáq;* alimenta. *apud Arbitrum, ante fin. libri, de 3. ſacris* Anſeribus. *Militum dimenſum, vocabulô caſtrensî,* Canon *eſt. Vide Ammian. Marcellin.* (21) *Chronologia Stuartæa, Coloniæ edita.* §. Regina, unde. *Ex Buchanano.* (22) *De miſero hoc Sacrorum ſtatu, Florimund. Remond. lib. 6. de Orig. hæreſ. pag. 298. in 4. & al.* (23) *Anno 1562. teſte Franc. Sacchino, tom. 2. hiſtor. lib. 6. num. 108. & 109.* (24) *Idem ibid. num. 106.* (25) *Sauraus, in Urbibus. V.* S. Andrè. *Quam rem prolixè, ante Sauraum, deſcripſit & Georg. Buchananus, Scoticor. lib. 15. à pag. 536. uſque 543. qui paſſim miſcet, vitiatæ veritatis meritò ſuſpicione laborantia: quippe, ab homine ſcripta, apoſtatâ, Sophocardii amicô, & ipſo Sectariô: proptereáq; à Jacobo V. rege, in exilium ejectô*

Maria Stuarta.

anno 1539. uti de se ipse scribit Scoticorum lib. 14. pag. 509. edition. Edimburg. aut veriùs Batavicæ. (26) *Joan. 6. v. 33. & 41. & 58.* (27) *A pag. 123. usq; 143. editionis Elseviriana an. 1648. in 8.* (28) *Jodoci Coccii, Bileveldiani, Theologi, & Canonici Juliacensis, Tomi 2. lib. 6. artic. 1. & 7.* (29) *Vide de hac, & aliorum generum, impietate, Florim. Remond. de Orig. hæresum lib. 6. cit. à pag. 298.* (30) *Pag. 575. post med.* (31) *Ex Oberto Barnestapolio, in* Stuarta Innocente, *pag. 15. med.* (32) *E Barnestapolii pag. 14. post princip. inferiùs afferam testimonium.* (33) *Buchanan. lib. 16. pag. 575. ante fin.* (34) *Ante Paraphrasin Psalmorum Davidis, superiùs allati.* (35) *Joannem Leslæum lege, Rossensem episcopum, Scotum, pag. 585. histor. Scot.* (36) *Vide & Michaëlem ab Isselt. pag. 42. de Stuarta.* (37) *Ità loquitur & Cornel. Nepos, scriptor, siquis alius, ῥωμαιόταῖος, ac Ciceroni coævus. in Vita Pomponii Attici, med.* Quibus ex malis ut se emersit, nihil egit aliud. *&c. de periculo, quod ei impendére credebatur à Mar. Antonio, proscripturo Ciceronis amicos.* (38) *Colligitur è Buchanano, hist. Scot. lib. 17. pag. 622. post princip.* (39) *Ità refert, in Genealogia Regum Scotiæ, Nicol.*

Appendix, ad Annum 1614.

Nicol. Rittershusius, de Matthæo Stuart, Comite Levinia. cujus secundam quoque uxorem nominat Margaritam, sed Archibaldi Duglassii filiam. De prima, consentit etiam Buchanan. Scotic. histor. lib. 13. pag. 446. post princip. Ut proinde non assequar, quid sibi velint, in editione Batavica Stradæ, decad. 2. pag. 473 ante fin. illa marginis verba, parenthesi inclusa (Maria Lenox) *ubi in corpore mentio fit de matre Henrici Stuartii, geniti ex Henrici 7. regis Anglorum nepte. Hujus Henrici pater, fuit Matthæus ille Stuart, Comes Levinia. (al. Lenox.) Livinia Comitem, pro Levinia, Strada nominat.* (40) *Buchananus lib. 17. pag. 626.* Davide *(inquit)* contendente, Ex usu rei Christianæ nuptias eas futuras: quòd Henricus Darlæus, & pater ejus, sectæ Papanæ acerrimi essent assertores. *&c. de Davidis Riccii Consilio loquitur, quod reginæ nupturienti inculcabat.* (41) *Obertus Barnestapolius, in* Stuarta Innocente, *pag. 16. post princip.* (42) *Verba sunt Buchanani lib. 18. pag. 644. post med.* (43) *Buchanan. lib. 17. pag. 622. ad med.* (†) *Buchanan. lib. 17. Scot. pag. 622. med.* (44) *Ulyssis ac Penelopês, etsi diversô nonnihil sensu, meminit in* Stuarta Innocente, *Barnestapolius*

V 4 quo-

Maria Stuarta.

quoque pag. 16. princip. (45) *Meminit hujus Pontificiæ dispensationis factæ, in caussa harum nuptiarum, Buchananus, aliud licèt agens, lib. Scotic. rer. 18. pag. 638. post princ.* (46) Rothesayæ *Ducem, Rutershusius, in Genealogia regum Scotiæ, nominat. ac Rothesajum quoque Buchanan. lib. 17. pag. 625. ad fin.* (47) *Idem, histor. Scoticæ lib. 17. pag. 625. post med.* (48) *Barnestapolius, pag. 2. post med.* (49) *pag. 48. med.* (††) *Strada decad. 2. lib. 8. pag. 686. med. de Stuarta, & Buchan.* (50) *Barnestapol. pag. 14. ante med.* (51) *De hoc Epicœno,* Corvô fœmina, *cæterísq; generis ejusdem, doctè festivéq; disserit Emman. Alvarus libro 1. Institutionum Grammaticar. titulô,* De Generibus Nominum, *ipso fine, pag. 54. & 55. editionis Brunrutanæ, in 8. quem legisse, juverit, & oblectamento fuerit.* (52) *Expende Barnestapolii verba illa pag. 14. med. ubi de natalibus nothi ait:* Ex regio *(QUOD PUTATUR)* semine. *&c.* (53) *Hoc typographi nominant hodiéq;,* Ramistisch setzen. (54) *Barnestapolius pag. 13. à med. usque ad fin.* (55) *Colligitur è Buchanani Scoticarum rerum lib. 18. pag. 640. ante fin. & inferiùs rursus, pag. 642. post princip. ubi nuntii frequentes afferebant, Uxorem Mur-*

Murrayi, abortu factô, anno 1565. in exigua spe vita, animam agere. (56) *Famian. Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 486. ante med.* (57) *Buchanan. Scotic. lib. 17. pag. 611.* (58) *Idem, eod. lib. pag. 623. prope med. & pag. 609. med. & pag. 609. fin. & 610. med. & p. 613. ante med.* (59) *Buchanan. lib. 17. pag. 611. post med.* (60) *Cum Sabaudo Italico, de quo mox infra: & cum Bothuelio Comite: de quo & ipso inferiùs.* (61) *Quæ tria crimina Barnestapolius quoque pag. 3. med. nominat à Buchanano Stuartæ impacta: & redarguit, in sequentibus.* (62) *Buchanan. Scotic. rer. lib. 17. pag. 609. ante fin. & pag. 629. à princ. &c.* (63) *Stradæ verba, lib. 8. pag. 486. med.* (64) *Decad. 2. lib. 8. pag. 485. & 486. in marginibus.* (65) *Valer. Maxim. lib. 3. cap. 7. num. 8. M. Æmilii Scauri sparsim meminit, in Jugurtha suo, Crisp. Sallustius.* (66) *Hunc Michaël ab Isselt, pag. 42. & Buchanan. pag. 622. &c.* Rizium *nominant. Alii, nobiscum,* Riccium. (67) *Libro 17. rer. Scot. pag. 623. fin.* (68) *Eunuch. Act. 4. sc. 4. post princip.* (69) *Remond. de Orig. hæreseon, lib. 6. cap. 16. num. 3. ad med.* (70) *Scotic. rer. lib. 17. pag. 601. fin. & 602. ante med.* (71) *Barnestapolius, in* Stuarta Innocente, *de nu-*

ptiis ipsius Bothvello suasis, *pag. 34. v. 5. ante fin.* (72) *Lib. 17. pag. 630. ante fin.* (73) *Partem Scotiæ tenebant Picti: ut Septenniô quoq; I. in Notis adstruxi.* (74) *Ovid. 2. Tristium, med.* Hospitis igne duas, *&c.* (75) *2. Reg. cap. XI.* (76) *Cornel. Tacit. lib. 12. Annal. de adoptione Domitii Neronis, à Claudio factâ:* (77) *Sueton. Tranquill. in Tito Flavio Vespas. cap. 7. & Tacitus, Historiar. lib. 2. ad init. & alii.* (78) *Ælius Spartianus, in Vita Adriani.* (79) *Nicol. Sanderus, de Schism. Anglicano, lib. 1.* (80) *Lib. 17. pag. 602.* (81) *Libro 6. historiæ Societ. pag. 331. num. 107. In Annum nempe 1562. post quem, anno deinde 1564. exitu Julii, nuptiæ Darlæanæ sunt peractæ.* (82) *Videtur mihi hoc loco desiderari vox*, Profundendâ, *vel* Impendendâ, *simileve quidpiam: culpâ librariorum.* (83) *Sacchin. lib. 6. citat. à numero 105. usq; 109. exclus.* (84) *Vide Tomum 5. hist. Societatis, Possinô auctore, lib. 2. à num. 140. usque 145.* (85) *Franc. Sacchin. Tom. 3. lib. 3. histor. Societat. num. 167. & 168.* (86) *1. ad Corinth. 6. v. 18.* (87) *Epist. 1. ad Timoth. cap. 2. v. 2.* (88) *Ad Romanos, cap. 12. v. 18.* (89) *1. ad Thessalonic. cap. 5. v. 22.* (90) Scandalum, *quod præcisè* - Accepto, *seu* Pas-

Appendix, ad Annum 1614.

Paſsivo, *opponitur è directo: de quo agit S. Thom. in 2. 2. quæſt. 43. artic. 1. ad 4. & alibi. De* Dato, *ſeu* Activô, *ait Chriſtus Matth. 18. v. 6. 7. 8.* Væ mundo, à Scandalis! væ homini illi, per quem Scandalum venit! *&c.* (91) *Matthæi cap. 10. v. 17. & v. 36.* (92) *Ibid. v. 21.* (93) *Ibid. v. 22. & Pſal. 1. v. 1.* (94) *Obertus Barneſtapolius, in* Stuarta Innoc. *pag. 41. poſt med.* (95) *Pag. 53. ante med.* (96) *Buchanan. lib. 17. rer. Scot. pag. 600. ante fin.* (97) *Buchanan. Scotic. rer. lib. 17. pag. 609. à princ. ad med.* (98) *Auctor* Stuartæ Innocentis, *pag. 19. ad fin. & pag. 20. uſque ad fin. per totum.* (99) *Arbiter in Satyrico: longè poſt princ.* (100) *3. Regum cap. 21. v. 3. &c.* (101) *De qua habes 4. Reg. cap. XI. per totum.* (102) *Barneſtapolius pag. 20. fin. & pag. 21. uſq. ad med.* (103) *Hi* tres, *ſed* diversîs *è matribus, Jacobi V. fuerunt* nothi; *quos & Buchananus nominat, & Nicol. Rittershuſius, in Genealogia Regum Scotiæ:* Jacobus, *inquam*, Joannes, *ac* Robertus. *Rittershuſius autem &* Wilhelmi *cujuſdam meminit, qui Moraviæ Comes fuerit, ante Jacobum ſpurium. Originem tot ſpuriorum indicat (ſi non fallit) Buchan. libri 14. fine: quòd* ad mulieres proniorem

Maria Stuarta.

niorem reddidisſent Regem, ejus Adoleſcentiæ educatores: qui hac ratione diutiſſimè eum ſibi obnoxium fore, ſint arbitrati. (104) *Buchan. lib. 17. pag. 610.* (105) *Idem, lib. 18. pag. 641. ante med.* (106) *Obertus Barneſtapol. in Vindiciis Stuartæ, pag. 54. poſt med.* (107) *Fuit is Archiepiſcopus. de qua re, Buchanan. lib. 20. pag. 727. princ. Vide autem & fine pag. de Sacerdote plexo, qui tertiò jam* Miſsificaverat. *hujus enim ipſius vocis uſu, in SS. Altaris ſacrificium ſcurrari, placuit iſti nebuloni.* (108) *Obertus, pag. 18. med. & fin.* (109) *De Origine hæreſeon lib. 6. cap. 16. num. 3. ante med.* (110) *Obertus, pag. 26. med. in Vindiciis Stuartæ.* (111) *Expende verba Florimundi Remondi lib. 6. cap. 16. num. 2. ante fin.* (112) *Auctor Chronologiæ Stuartææ, Coloniæ impreſſus.* §. Perduelles. (113) *Obertus, ſuprà citat. pag. 23. poſt med.* (114) *C. de proba. l. fin.* (115) *Marci 6. v. 23. & 26.* (116) *His, à Buchanano traditis lib. 17. pag. 632. fin. & 633. poſt princip. non contradicunt Barneſtapolius, & Florimund. neque Chronologia Stuartæa Colonienſ.* (117) *Buchananus enim ait, Poſt idus Apriles eum reſediſſe rerum motum: lib. 17. fine. Colligitur*

tur autem & ex eo ; quòd ab Oberto Reginæ memoretur partui fuiſſe proxima, quo tempore gerebantur iſta, pag. 24. poſt med. Peperiſſe verò eam decimô nono die Junii, conſtat ex eodem Buchan. ibid. fin. nec diſſidet in Genealogia Regum Scotiæ Rittershuſius : uti nec Michaël ab Iſselt. pag. 45. (118) *Obertus, in* Vindiciis Reginæ, *pag. 23. princ.* (119) μορμολύκειον *Græcis, &* μορμολυκεῖον, *immò &* μορμολύκια *in plurali : monſtra ſunt larvarum; ſeu ſpectra & terricula, pueris ac prægnantibus exſternandis valida.* (120) *Qui & à pedibus, & menſæ miniſterio. Ciceronis eſt, Actione 3. in Verrem.* (121) *De* ſclopo, *ejúſq; detorſione, narrat Obertus, in* Vindiciis, *pag. 24. poſt med. & 26. med.* (122) *De* pugione, *Florim. Remond. lib. 6. de Orig. hæreſ. cap. 16. num. 3. ante med.* (123) *Antithalamum; Antichambre, Gallis. Antecubiculum, Vitruvio : Locum excubitorum-regiæ.* (124) *Obertus, pag. 62. poſt med.* Reginæ Secretarium, Supplicem, extrahit *(Darlæus)* ad cædem. (125) *De* Invocatione Juſtitiæ, *Florimundus tradit, lib. 6. cap. 16. ante med.* (126) *Hoc Buchanan. obſervat, lib. 17. pag. 34. poſt princ.* (127) *Terent. Eunuch. Act. 1. ſc. 2. poſt princ.*

(128)

(128) *Vide nihilosecius, Chronologiæ Stuartææ auctorem, Edition. Coloniens.* §. Perduelles. (129) *Frequenter in Deuteronomio, diversîs capitibus.* (130) *Pag. 26. post med.* (131) *Pag. 22. ante med.* (132) *Obertus, pag. 26. med.* (133) *Idem, ibid.* (134) *Cornelii Nepotis est, in Præfatione ad Atticum. Estq;*, Interior pars ædium, in qua materfamilias habitat: *inquit idem.* (135) *Hanc* Sessionem *Ruveni, coràm se, dum* staret *ipsa, signatè præter alia, Reginam ei exprobrâsse, non omisit annotare Buchanan. lib. 17. Scoticar. rerum, pag. 634. med.* (136) *Scotica. à Caledonia sylva, Scotiæ parte.* (137) *De quo Buchananus, non solùm in hoc Patricii Ruveni sermone, pag. 634. libri 17. ante finem; sed universô suo Opere, quod inscripsit*, Dialogum de Jure Regni apud Scotos, *inter Georgium Buchananum, & Thomam Matellanum, Calvinianos, agit: improbante postea, proscribentéq;, Scriptum istud, Jacobo I. opusculô ad Henricum filium, VVallia factum Principem.* (138) *Sic eum Scoti nominabant (per contemptum fortasse, pro Davide Riccio) Buchanan. lib. 17. pag. 624. post med. & alibi.* (139) *Non ergò* Pauci, *qui vigilias agerent: ut ait Buchan. pag.*

Appendix, ad Annum 1614.

pag. 634. Vide Chronolog. Colon. Stuarta. §. Perduelles. *&c.* (140) *Barneſtapolius, de Jacobo Stuarto, ſpuriô.* Hanc potiendi imperii *(in Scotia)* ſpem, acerrimi animi adoleſcens, non priùs dimiſerat, quàm vitam. *pag. 12. poſt princ.* (141) *Obertus in* Vindiciis, *pag. 26. ante fin.* (142) *Vide Florim. Remond. de Orig. hæreſ. lib. 6. cap. 16. num. 3. ad med.* (143) *Lucæ 1. verſ. 71.* (144) *Buchanan. lib. 17. Scotic. pag. 635. poſt princip.* (145) *Obertus, in* Stuartæ Vindiciis, *Cardinali Alano dedicatis, pag. 26. fin.* (146) *Florimund. lib. 6. cap. 16. num. 2. & 3. med.* (147) *Buchananus, libri 17. fine, ait;* peperiſse Reginam 19. Junii, paullò poſt horam nonam ÆQUINOCTIALEM. *Præceſserat porrò jam (utpote Julianis in Faſtis) Solſtitium æſtivum; Solis in Cancrum ingreſſu.* (148) *Michaël ab Iſselt. pag. 45. & Nicol. Rittershuſius, in Genealogia regum Scotiæ: & aliâ Genealog. Regum Angliæ.* (149) *Ad Roman. cap. 12. v. 17. & v. 21.* (150) *Lucilii eſt, Satyrarum lib. 6. ſicut* Prodigentia *Cornel. Taciti, lib. 13. Annal.* (151) *Barneſtapolius pag. 39. poſt princ. qui pag. quoque 14. poſt princip. genere dicit ortam Aſkinorum.* (152) *Apud quem,*

quem, hist. rerum Scoticarum libro 17. pag. 600. princip. Jacobus hic Stuartus sororem Reginam Mariam in Gallia alloquens, & in Scotiam invitans, inter catera ait; Præsertim cùm is esset *(Jacobus)*, cujus fidei se maximè tutò posset committere, NATURA frater. *id est, Jacobi V.* filius naturalis. *Si namque* legitimus *fuisset: ad eum Scotia regnum, & ut marem, & ut natu majorem, non ad Mariam, pertinuisset. Idem tamen libro 16. pag. 575. apertè* Proximi regis *(id est, Jacobi V.)* nothus *appellatur. post med. Obliquè verò, pag. 634.* (153) *Buchan. lib. 17. Scotic. pag. 611. med. & fin.* (154) *Obert. pag. 30. fin. & 31. princip.* (155) *Idem, pag. 31. princ.* (156) *Ità nominat hunc Auctor Chronologia Stuartaa, Colonia impressus*, §. Jacobus Heburnus. *&c. Alii, inter quos Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 474. post med. Jacobum* Epburnum, *Botvelii Comitem, Scotici Maris prafectum* (Admiralium *vocant.) Obertus pag. 69. ad fin.* Hepburnum, *scribit. Rittershusius, in Genealogia Regum Scotia*, Herburnum. (157) *Qualis ad extremum captus à Danis, & mortuus est: Buchananô referente, lib. 18. pag. 667. & 671.* (158) *Omnium scelerum inventor, & opifex.* (159)

Appendix, ad Annum 1614.

(159) *Obertus* in Vindiciis, *pag. 19. ante fin.* (160) *Buchanan. lib. 17. pag. 625. princ. Vide autem & Indicem illius, V.* Andreas Stuartus: *& pag. 418. Is anno postea 1567. in pugna vulneratus traditur, lib. 19. pag. 677. ante fin.* (161) *Michaël ab Isselt. pag. 88. de rebus Stuartæ.* (162) *Florim. Remond. lib. 6. cap. 16. num. 4. post princ. Nec dissentit, de* visitationibus, *Buchanan. lib. 18. Scotic. pag. 642. med.* (163) *Vox Rubeni, de Josepho vendito, Genes. cap. 42. vers. 22.* (164) *Genesis cap. 9. v. 6.* (165) *Hunc calculum accuratè duxit ipsa Stuarta, apud Buchananum, lib. 18. Scotic. pag. 642. med.* (166) *Hos omnes nominat Obertus in* Vindiciis Stuartæ, *pag. 56. à med. ad fin. de plexis post hæc agens.* (167) *Michaël ab Isselt. pag. 88. quem Buchanan. lib. 18. pag. 642. ait fuisse* Dominicum. (168) *Sic semper hunc nominat Obertus* in Vindiciis. *Buchananus*, Heresium. (169) *Barnestapolius pag. 54. de Barone* Harrisio. *à med.* (170) *Libro 18. Scotic. pag. 642. post princip.* (171) *Florimundi Remondi lib. 6. cap. 16. num. IV. verba expende.* Inter tertiam, & quartam noctis horam, ædes, in quibus rex diversabatur, supposito & incenso pulvere convulsas. *&c. Atqui, è nar-*

Maria Stuarta.

ratione Buchanani, *lib. 18. pag. 643. ad med. Cædes priùs peracta fuerat, quàm ædes incensæ dispergerentur. Cuj temporis intervallo tribuo semihoram saltem; inter regis necem, & domûs incendium, interjectam.* (172) *Florimund. lib. cit. 6. & cap. numeróq*, *modò citatîs: circa med.* (173) *Barnestapolius, in* Stuarta Innocente, *pag. 35. med.* (174) *Lib. 18. Scotic. pag. 643. fin. & 644. post med. Aliter multò alii. in quibus Florim. Remond. de Orig. hæres. lib. 6. cap. 16. num. 4. post med.* Facinus hoc Regina, utì par erat, indignissimè tulit. *&c. & ibid.* Mariti *Corpus*, non sinè lacrymis, *regiis majorum tumulis inferri jussit.* (175) *Confer è Buchanano, libri Scoticarum rerum decimi quarti verba, ante fin. pag. 514. paullò ante med. de sepultura Jacobi V. & postea libri 17. itidem finem, pag. 635. med. de sepulcro Davidis Riccii. Denique libri 18. pag. 644. ante fin. de sepulcro regis Henrici Darlæi. Sepeliit autem Stuarta Darleum (inquit Florimund. lib. 6. cap. 16. num. 4. ante §.* Non multò *&c.)* sinè ulla ferè pompâ: ut, quæ in toto suo comitatu Unum tantùm Sacerdotem haberet. (176) *Nam hoc ipso argumenti Achille usum in ea persuasione Murrayum, & Bothuelium captum,*

ptum, *Obertus* in Vindiciis *refert* : *pag.* 46. *à med.* (177) *Idem citatâ pag.* 46. & *Florim. Remond. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 4. *post init.* (178) *Idem*, *pag.* 51. *à med.* (179) *Quas rationes partim pag.* 46. *à med. partim pag.* 51. *fin.* & *pag.* 52. *à princ. Obertus indicat* in Vindiciis. (180) *Idem ibid. pag.* 52. *princ.* (181) *Barnestapolius*, *in* Stuarta Innoc. *pag.* 52. *ante med. Quid*, *si hoc verò Kirchlestoum quoque Geographis dicatur*, *quod infra Edimburgum*, *ad Occasum vernum amni adjacet?* & *in via Sterlinum versùs situm est?* (182) *Florimund. lib.* 6. *cap.* 16. *num. V. princip.* §. Non multò. (183) *Famian. Strada*, *decad.* 2. *lib.* 8. *pag.* 475. *princip.* (184) *Ad Romanos*, *cap.* 3. *v.* 8. (185) 1. *Corinth.* 6. *v.* 12. (186) *Antonium Dauroultium vide*, *in Catechismo Historiali*, *posteriorum præsertim editionum*, *cap.* 2. *ad fin.* (187) *Multa*, *jam antiquitus condita*, *Juris Decreta*, *contra Matrimonia cum Impedimento Criminis*, *affert etiam Laymannus*, *nostri avi Canonum doctor*, *Lib.* 5. *Theol. Moral. tract.* 10. *Part.* 4. *cap. X. à num.* 1. & *seqq.* (188) *Obertus*, in Vindiciis, *pag.* 37. *fin.* (189) *Simile quiddam concio Judæorum clamitavit Jerosolymis*, *adversùs invisum sibi Paulum*, *Actor.* 22. *v.* 22.

(190) *Barnestapolius*, *in* Stuarta Innoc. *pag.* 64. *è Buchanano.* (191) *Hæc, & proximè superiora, consensu magnô tradunt, Barnestapol. in* Stuarta Innoc. *pag.* 63. *&* 64. *Florimund. Remond. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 5. *Auctor M. S. Oratione* 1. *de Stuarta. Strada, l.* 8. *pag.* 475. *& alii.* (192) *Arx enim regia jam à rebellibus tenebatur, Palfurio quodam Præfectô imposito. Florim. Buchan. &c.* (193) *Carcer Romæ teterrimus, à Sallustio in Catilina descriptus. in quo strangulatus Lentulus Sura, & alii Conjuratorum. Cæterùm, quòd* Posterô *statim* die *Stuartam abductam in Lævinum lacum ait; alii cum Buchanano pag.* 666. *med.* post duos *id* dies *accidisse tradunt. Auctor M. S. & laudantur pro testimonio, in universa narratione ista, ad marginem, Romuald. Scotus, pag.* 80. *& Michaël Isselt. pag.* 119. *&c.* (194) *Buchananus lib.* 18. *pag.* 668. *post med.* (195) *Hæc hactenus tradit, majori parte, Florimund. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 5. (196) *Buchanan. lib.* 17. *pag.* 630. *ante med.* (197) *Danielis cap.* 13. *v.* 22. *de Susanna.* (198) *Lucæ* 1. *v.* 79. (199) *De* Profundo-Maris, *S. Paulus* 2. *Corinth. XI. v.* 25. *Id Baronius eruditè trahit ad Carcerem illum Cyzicenorum, de quo Venerab. Beda,*

Beda, ex Theodoro Tarſenſi. Spondan. Epitomâ anni 58. num. 18. (200) *Apocal. cap. 17. toto.* (201) *Obertus* in Vindiciis, *pag. 39. ante med.* (202) *Uxorum ſcilicet Jacobi V. Scotiæ regis; (in congreſſu cum rege, marito earum,) vicaria, ſeu ſubſtituta. Hoc enim, latinitate propriâ, vox* Pellicis *notat: ut ſit uxoris* pellex, *& mariti* concubina. *Fuerunt autem uxores Jacobi V. legitimæ, ſimúlq; Scotorum Reginæ, (ut Nicol. Rittershuſius in Genealogia Regum Scot. aſſignat) I. Magdalena Valeſia, Franciſci I. Regis Galliæ, filia. Poſt hujus verò mortem, II. uxor, Maria, Claudii Gviſii Ducis, filia; ex qua Maria Stuarta noſtra.* (203) *Daniel. 13. v. 35.* (204) *Ibid. v. 42.* (205) *Ibid. v. 44. & 45. &c.* (206) *Florimund. Remond. lib. 6. cap. 17. num. 2.* (207) *Hæc & Buchananus attingit, librô Scoticar. rer. 19. pag. 672. fin. & 673. ultra med.* (208) *Idem Buchanan. ibid. pag. 673. & 674. princ.* (209) *Florimundus lib. 6. cap. 17. num. 1. poſt med.* (210) Cartham *nominat hoc flumen Buchan. lib. 19. pag. 676. poſt princ. Geographi,* Cartcartum. (211) *Florim. & Buchanan.* Heresios *eos nominant. Obertus autem in Vindiciis,* Harriſios, *pag. 54. med. & alibi.* (212)

Florimund. lib. 6. cap. 17. num. 2. Ogilvium *nominat. Hic idem & cæteros, quos memoravi, duces recenset: ut & Buchanan. lib. 19. pag. 676. post med.* (213) *Michaël ab Isselt pag. 146. de rebus Stuartæ.* (214) *Ità numerat Buchanan. lib. 19. pag. 677. ad fin.* (215) *Capta namque anni 1567. die 15. Junii; sedit in Læviniana custodia, usq; ad tertium Maji diem, anni sequentis 1568. quo die per VVilhelmum est educta.* (216) *Joann. cap. 18. v. 36.* Respondit JESUS (*Pilato*); Regnum meum non est de hoc mundo. &c. (217) *1. ad Thessalonic. cap. 3. à v. 3. usque ad 6.* (218) *Livius, lib. 1.* (219) *Ut primùm enim è Gallia rediit in Scotiam Stuarta; Elisabeta tesseram, ac pignus, amoris amicitiæq; misit ei dono, adamantis, in partes duas æquales diffissi, semissem: pollicita, siquando, gravata malis, dimidium illud gemmæ alterum sibi remitteret, recepturam ex Anglia opem. Hujc adamanta statim alterum redonavit Stuarta, in annulo aureo, cordis figurâ incisum; & hendecasyllabicis Buchananæis viginti septem, non tamen expolitissimis, aut usquequaque regiis, comitatum. De adamante priore, narrat Strada quoq;, decadis 2. lib. 8. pag. 475. de utroque verò simul,* Flori-

Florimund. lib. 6. cap. 16. post initium. ubi & *epigramma Buchan.* (219) *Maro lib. 3. Æneid. ante med. de* Strophadibus *Insulis.* (220) *Habacuc cap. 1. v. 16. de tyranno Chaldaicô.* (221) *Hic Orator fuit* La Motte, Fenelone. *de quo Florim. Remond. lib. 6. cap. 17. num. 2. ante fin.* (222) *Libro 20. pag. 726. & 727. ubi seipsum scriptor implicat. princip. & med.* (223) Introitus *sacræ* Missæ, *de Communi plurimorum martyrum. ex Ecclesiastici cap. 39. v. 14.* (224) *Exiit enim anno Christi 1568. Nos hodie, dum hæc eduntur, annum numeramus 1675.* (225) *Ecclesiastici cap. 21. v. 10.* (226) *Matthæi cap. 24. v. 15.* (227) *Sic Scoti Edimburgenses insigniebant Crucem, insutam vesti Equitis S. Spiritûs, oratoris Gallici. Florim. lib. 6. cap. 16. num. 6.* (△) *E cap. 2. vers. 3. S. Malachiæ prophetæ.* (228) *Quæ vide apud eundem, ibid. num. 6. à* §. Porrò. *cujusmodi delirium est, v. g. Adulteris publicè super vestes cæteras superinjici* Indusium Album, *in ludibrium (opinor) Albæ Sacerdotalis. unde vestis similis iis quoque injicitur, qui SS.* Missæ *interfuerunt.* (229) *Quæ eadem est Angliæ regio, cum Cumbria.* (230) *Ità Geographi nominant: quem Atlas Hondianus,* Ir-

Maria Stuarta.

túnam. (231) *Sic Atlas, in descriptione Angliæ, Tabula 2. At Geographia nova, Peterellum quidem eum nominat. sed is, non ab Or*tu, *(sicut Atlas ait,) sed pæne totus* à meridie, *Carlilim accedit.* (232) *Hujus cognomenti ludibriô conspuit proaviæ suæ Liviæ memoriam Cajus Caligula, Imperator; propter ejus, in astutia, æmulationem Ulyssis. ut & alibi observavi, è Tranquillo, in Vita Caligulæ. cap. 23.* (233) *De Fredegunde, vide, præter innumeros, J. Lipsium, in Moniitis & Exemplis Politicis, de Regimine Fœminarum: De Tanáquile, Romam, adhuc nascentem, agitante suum ad libitum, in marito Lucumóne, Livium librô I. ab U. C.* (234) *Florimund. lib. 6. cap. 17. num. 3. meminit hujus* Scrupi. *Buchananus quoque lib. 19. pag. 697. fin.* (235) *Buchan. lib. 19. pag. 680. fin.* (236) *Esset his adnumerandus, hôc locô, Gulielmus quoque Matellanus. sed, quoniam hic in Reginæ Mariæ partes jam inclinatus, & planè renitens invitúsq; ivit, (teste Buchananô, lib. 19. pag. 680. med.) pro* non-eunte *meritò censeatur.* (237) *Enumerant hos legatos, Florimundus lib. 6. cap. 17. num 3. post med. qui nominat inter eos, Robertos quoque duos, Petcarnium (is ipse tamen diver-*

diversus non fuit ab Abbate Fermelinod.) & *Duglassium (alium, ac diversum, à Mortonio)*. *Buchananus item, lib. 19. pag. 680. post med. iis utitur nominibus, quæ posui : dicitq;*, Se *inter illos fuisse* Nonum. (238) *Maro lib. 3. Æneid. ante fin. de* Cyclopibus. (239) *Sic Florimundus eum locum appellat, lib. 6. cap. 17. num. 3. post princip. Geographi*, Burtónum, *vulgò*. (240) *Hos enumerat Florimund. lib. sæpe laudato 6. de Orig. hæreseon. cap. 17. num. 3. ante med.* (241) *Maro, 1. Georgic. longè post med. de Signis nimborum imminentium*. Pi&icæ *porrò*, *idem*, *quod* Scoticæ : *ut alibi adnotavi*. (242) Bolis, *perpendiculum est nauticum, hôc locô, seu funis ; cuj. alligata massa plumbea, ferreáve, demittitur in profundum, ad explorandam maris altitudinem. Gracis* βολὶς. *de cujus usu Actor. 27. v. 28. S. Lucas*, βολίσαντες, εὗρον ὀργυιὰς εἴκοσι. Submittentes bolidem, invénimus passus XX. *Hoc locô, translatè sumitur*. (243) *Propertius, Mevaniæ natus, in Umbria. Librô 2. post med. eleg.* Hoc erat in primis. *&c.* (244) *Vide Barnestapolium, in Maria Stuarta* Innocente, *pag. 62. & 63. & inferiùs pag. 69. idem relibatur, med.* (245) *Castoris & Pollucis cœlestes*

X 5 & nau-

Maria Stuarta.

& nautica flammula, ignis specie relucentes. Græcis, Διόσκουροι & Διόσκοροι, Jovis filii veteribus: qui & simpliciter Cástores *appellantur, Actor. cap. ult. v. XI.* (246) *His eum epithetis Obertus cohonestat, in* Vindiciis Stuartæ, *pag. 55. med.* (247) *Idem, pag. eád. ad med.* (248) *Sic eam & Buchananus appellat, lib. 18. pag. 652. v. 3. quod ego familiæ potiùs nomen, quàm è lustrico haustum lavácro, reor.* (249) *Hæc ferè verbatim, ne recederem à fonte epistolæ, retuli ex Oberto cit. pag. 51. fin. & pag. 52. princip.* (250) *Florimund. lib. 6. cap. 17. num. 3. fin.* (251) *Idem, ibid. cap. 16. num. 5. post princ.* (252) *Hæc Obertus Barnestap. in* Stuarta Innocente, *diducit, à pag. 55. post med. usq; ad pag. 57. fin.* (253) *Hæc Florimundus tradit, lib. 6. cap. 16. num. 5. & diffusiùs Obertus in Vindiciis, pag. 57. fin. & pag. 58. totâ.* (254) *Matth. cap. 28. vers. 15.* (255) *Florimundus quidem lib. 6. citatô, cap. 17. num. 3. ait;* Rebellium rogatu, *Buchananum id scriptum concinnâsse. Sed, qui verba Florimundi,* Primùm ergò, *expendit; satis assequitur, Eos potissimùm fuisse, qui tunc ab Elisabeta Londinô, cum calcari ad opprimendam Stuartam, redierant; inter quos Murrayus*

rayus Prorex eminebat: qui Buchanani εὐπαντα, & Idolum, erat. (256) *Obertus in Vindiciis Stuartæ, pag. 58. post med. & Buchananus sanè, in* Amentia *mortuum Bothuelium, libri 19. principiô tradit, pag. 671. v. 10.* (257) *Ipsa Florimundi verba pono, lib. 6. cap. 17. num. 2. longè post med.* (258) *Florimundus, de Apologia, lib. 6. cap. 16. num. 5. longè post med. De* Hollingsédi *Annalibus verò, cap. 17. num. 2. post med.* (259) *Obertus, in Epistola ad Cardinalem Alanum, post med.* (260) *Idem ibid. Erat autem annus Sæculi superioris octogesimus octavus; & editiones illæ geminæ jam extabant: cùm Obertus, hæc scribens, Ingolstadii prodierit anno 1588. typis VVolfg. Ederi. Stuarta verò occubuerat annô proximè præterito.* (261) *Florimund. lib. 6. de Orig. hæres. cap. 16. num. 4. fin.* (262) *Remondus lib. 6. cap. 17. num. 3. & 4. usque ad 5. exclus.* (263) *Hunc diem nominat Buchananus, lib. 19. pag. 705. notis Fastorum Romanis, X. Cal. Februarias: isque nobis est, 23. Januar. festô S. Emerentianæ notatus. Florimundus autem lib. 6. cap. 17. num. 5. fin. ad marginem assignat. 27. Januar. ut adeò necesse sit, in alterutro mendum intervenisse, seu scriptoris, seu librarii.* (264) *Buchan.*

loc.

Maria Stuarta.

loc. cit. Letham *Remondus nominat.* (265) *Vide Buchanan. lib. 19. pag. 678. princ.* (266) *Psal. 7. v. 15. &c.* (267) *1. Timoth. 1. v. 13.* (268) *Remond. lib. 6. cap. 17. num. 5. post med. Buchanan. lib. 19. ante fin. pag. 704. & 705:* (269) *Idem, pag. 705. post med.* (270) *Ex 1. reg. cap. 25. v. 22. Item ex 3. reg. 21. v. 21.* (271) *Remondus, de Orig. hæres. lib. 6. cap. 17. num. 5. post med. Vide & Michaël. ab Isselt, de Stuarta, pag. 223.* (272) *Lib. 19. Scotic. rerum, fin. pag. 705. & 706.* (273) *Remond. lib. 6. de Orig. hæres. cap. 16. num. 1. fin.* (274) *Idem lib. 6. cap. 16. num. 6. ad med.* (275) *Idem, ibid. cap. 17. fin. num. 6. Porrò, Philippo Macedoni, per epistolam petenti à se, dedi sibi Laconum rempublicam, Lacedæmonii responderunt,* περὶ ὧν ἔγραψας· οὔ. (276) *Idem, ibid. num. 6. post med.* (277) *Stradam vide, pag. 485. edit. Rom. princip. & M. S. de Stuarta.* (278) *Barnestapolius, in* Stuarta Innocente, *pag. 67. med.* (279) *Idem, pag. 61. post princip.* (280) *Undecimo Augusti: ut infra dicetur.* (281) *Infantibus, & fatuis, formidabilia spectrorum simulacra. Germanis etiam,* Blinde Vogelscheuen/ vnd Phantasenen. *de quo & alibi dixi.* (282) *Remond. de*

de Orig. hæres. pag. 287. Edit. Colon. antiquioris, ad fin. pag. (283) *Romualdus Scotus, in Summario de Morte Stuartæ, Ingolstadii excusô, pag. 69.* (284) *Florimund. Remond. pag. 337. editionis, proximè cit.* (285) Albion *olim dicebatur universa; quæ nunc Angliâ Scotiâq; continetur, Insula.* (286) *Michaël ab Isselt, pag. 254.* (287) *l. libertas. 106. de reg. jur.* (288) *l. non est. 176. §. infinita.* (289) *l. libertas. 122.* (290) *In custodia fuisse Elisabetam, & indè à Maria sorore evocatam; Remondus quoque, præter alios complures, testatur. lib. 6. de Orig. hæres. cap. 10. num. 3. princ. At clariùs, de inclusione Elisabetæ in Turrim Londinensem, idem eod. lib. cap. 9. num. 2. §.* Decimô octavô Martii *&c. ubi de ejusdem præterea Richmundianâ, & Nolstochianâ, custodiis, narrat: &, cur eæ translationes factæ sint.* Diúq; captivam *fuisse, refert.* (291) *4. reg. cap. 6. v. 6.* (292) *pag. 20. ad fin.* (293) *Stradam vide, decad. 2. lib. 8. pag. 482. fin. & seq. ad marginem quoque. pag. 482. fin.* (294) *Chronologia Stuartæa, Coloniæ impressa, in 8. §.* Examine peractô. (295) *Famian. Strada, lib. 8. decad. 2.* Amicium *nominat.* (296) *Florim. Remond. pag. 317. med.* (297) *Pardi, leo-*

leopardi, &c. non invento homine, quem oderunt, effigiem illius invadere feruntur, & lacerare. (298) *Tot numerat Buchananus, usque ad Jacobum V.* inclusivè. *initiô operis histor.* (299) *Ex litteris Reginæ Mariæ, è carcere datis, ad quendam Galliæ magnatem. apud Florimund. pag. 328.* (300) *Psal. 145. v. 2.* (301) *Jerem. cap. 17. v. 5.* (302) *Ecclesiastici cap. 2. v. 3. & 5.* (303) *Florimund. pag. 320. med.* (304) *2. Corinth. cap. 6. v. 2. & Ecclesia, responsoriô 1. nocturni 1. Dominicæ I. Quadragesimæ.* (305) *Valerii Martialis vox est, notans eos, qui* Carne *delectantur.* (306) *De hac Stuartæ sollicitatione ad apostasiam, & aliàs toto Captivitatis tempore, & novissimè quoque ante mortem, tradunt; partim Romuald. Scotus, in Summario Supplicii, pag. 20. fin. partim Famian. Strada, pag. 482. edit. Romanæ, decad. 2. partim Florimund. pag. 337. fin. & Ipsa denique Stuarta, epistolâ ad* Eleemosynarium *suum, pridie mortis datâ.* (307) *Matthæi 16. v. 26.* (308) *Matth 10. v. 36.* (309) *Jeremiæ cap. 9. v. 4.* (310) *Psalmo 117. ad med. Verba Psalmi sunt,* Aperite mihi Portas Justitiæ. ingressus in eas, confitebor Domino. hæc Porta Domini: Justi intrabunt in eam.

Appendix, ad Annum 1614.

eam. *In quem Davidis locum, Origenes, libro 6. adversùs Celsum, philosophum Epicuréum, cùm priùs explicâsset verba Psalmi noni, de* Portis mortis, & portis filiæ Sion, *(Jerosolyma,) in sensum, planè non Sectarum hujus ævi, sed* Stuartæum, *&* orthodoxum; *ante sæcula plusquam Quatuordecim* θεολογήσας, *ità loquitur, respiciens pariter & ad verba psalmi noni.* Πύλας θανάτου, τὰς ἐπὶ τὴν ἀπώλειαν φερούσας, ἁμαρτίας φησὶν εἶναι ὁ λόγος· ὥσπερ καὶ πύλας Σιὼν, ἐκ τοῦ ἐναντίου, τὰς καλὰς πράξεις. Οὕτω δὲ καὶ πύλας Δικαιοσύνης, ὅπερ ἴσον ἐστὶ τὸ τὰς πύλας τῆς ἀρετῆς· αὗται γὰρ ἐξ ἑτοίμου ἀνοίγονται, τῷ μεταδιώκοντι τὰς κατ' ἀρετὴν πράξεις. *Ubi vides, Ingressum Beatæ immortalitatis pandi, Justitiam in vita sectantibus, & Virtutem, & OPERA BONA. Id quod negare nec Gulielmus Spencerus Cantabrigiensis, recognitor Versionum Latinarum Origenis, voluit: in Editione anni* 1658. *immotas sinens, in glossis quoq;*, Portas Virtutis; *&* Bona Opera, καλὰς πράξεις. *&c. pag.* 299. *ad med.* (311) *Matth.* 16. *v.* 18. (312) *Is Eremi cultor, & Josaphati, principis Indorum, clandestinus instructor, describitur à S. Joanne Damasceno, in Vita utriusque, pulcherrimè*

Maria Stuarta.

mè explicatâ. (313) *Annô nempe,* 1562. *apud Sacchinum histor. Tomo* 2. *lib.* 6. *à num.* 105. *&c.* (314) *Famian. Strada, decad.* 2. *lib.* 8. *pag.* 485. *à med.* (315) *Strada, decad.* 2. *lib.* 8. *pag.* 482. *fin.* (316) *Extat epistola, apud Remondum lib.* 6. *de Orig, hæres. cap.* 19. (317) Parapherna, *propriè, quæ Sponso, præter dotem, accedunt. Horum pars ad Mariam Stuartam pervénit, à primo Marito, Francisco II. rege Galliæ. quod intelligetur ex iis, quæ infrà dicentur.* (318) *Arbiter.* Dispensatorem, aureos in precario numerantem, deprecati sumus. *&c. Quantumvis VVoveren, ex Josepho Scaligero se audisse, dicat;* Prætorio *legendum. quod multis refelli posset, si opus esset. In Augustæa historia,* Lararia *legimus: ubi* lares, *& Deorum, Indigetúmq;, simulacra. Vide Vitam Alexandri Severi.* (319) *Apocalyps. cap.* 7. *med.* (320) *Epistolam habès apud Florimund. lib.* 6. *Origin. hæretic. cap.* 19. *pag. edition. German.* 325. *in qua Stuarta* horam *nominat, qua scribere cœperit.* (321) *Hôc epiphonemate Catholici* sumptionem SS. Eucharistiæ, *tam* suam, *quam* alienam, *prosequuntur. Porrò, de Stuarta, seipsam in fine vitæ pascente divino viaticô, Florimundus pag.* 338. *edi-*

338. editionis Germ. & Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 483. tradunt. (322) *Expende, quæ Strada pag. 484. à verſu 4. ad 6. ſcribit, ex ore Reginæ* Diem *illum* lætiſſimum ac triumphalem *nominans. & infrà, v. 7.* Veſtibus precioſioribus indutam, *referens.* (323) *Narratio Londinenſis, pag. 86. prope med. Quæ conjungas, licet, iis, quorum Florimundus meminit pag. 340.* (324) *Convenit* Rei, reæq; *vox cuivis*, quem Actor in judicium vocat, trahítve: *tametſi revera ſit* Innocens. (325) *Narratio Londinenſ. die 18. Martii, ann. 1587.* (326) *Comes Cantii, de quo ſuprà. vulgò,* Kennth, *Anglis.* (327) *De Thoante, Cherſonéſi Tauricæ Rege, tyrannóq;, dictum & alibi, ex Ovid. lib. 4. Triſt. eleg. 4.* (328) *Vide & Stradam, de hoc. decad. 2. lib. 8. pag. 484. ad med.* (329) *Narratio Londinenſis, pag. 89. ità loquitur.* Unâ manu ferebat Crucem ligneam, vel Oſſeam, cum effigie Chriſti, ex ea dependentis. *Poterat revera eſſe Oſſea; &, regiæ ſupellectili convenienter,* eburnea. *poterat & eſſe è ligni candidioris quodam genere, v.g. tiliæ, quod oſſis ſpeciem videntibus è diſtanti loco referret.* (330) *Latinum fuiſſe, patebit ex iis, quæ dicentur inferiùs. Libelli*

mentionem omittit Strada. sed Narratio Londinensis exprimit: & necessariò. (ξ) Houretti *Galli, primi Inventoris: Jacobi* Loets, *ab* Arches, *delineatoris, & pictoris. Joan. Alexandri* Bœneri, *Norimbergensis chalcoglyptæ.* (331) *Londinensis narratio. pag. 89. med.* (332) *Famian. Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 484. ad med.* (333) *Idem, ibid. ante med.* Crevítque palàm comploratio. *&c.* (334) *Idem, ibid. quod Londinensis Narratio, hôc locô, præterit.* (335) *Hoc signatè ità tradit Narratio Londinensis, pag. 89. post med.* (336) *Chronologia Stuartæa, Coloniæ impressa; & Narratio Londin. pag. 89. med.* Beale *vocant istum, dialectô Gall. Florimundus verò, cum aliis, Besslæum.* (337) *Vide Narrationem Londinensem, pag. 90. & Florimund. pag. 341.* (338) *Jacobi Catholica epist. cap. 5. v. 14. & 16.* (339) *Sicut annô 1649. die 19. Martii, Londini, cùm jam securi feriendus esset, palàm Orationem recitavit Dominicam; & ea, quæ posui, verba. Vide Theatri Tragici Londinens. pag. 226. ad princ.* (340) *Ibid. eâdem pag.* (341) *Jerem. cap. 6. vers. 14.* (342) *Ad Philippens. cap. 2. vers. 12.* (343) *Novissimè id etiam decrevit Trident. Concil. Sessione 6. celebratâ 13. Januar. an. 1547.*

cap.

Appendix, ad Annum 1614.

cap. 12. &c. Canone quoq; 16. anathema dicitur, Contrarium asserentibus. & auctores margini adstruuntur; omni auctoritate humanâ majores. (344) *Ad Titum 3. v. 10.* (345) *Joan. epist. 2. v. 10.* (σ) *Postquam* Lutherus, *pleroq; Vitæ Prædicationisq; suæ tempore, plurimus semper fuisset, in iis insectandis; qui ambitione solâ, suæq;-sacræ-Eloquentiæ palàm ostentandæ caussâ, pruriebant ad Conciones, disputationes, & curas animarum obeundas, ideóq; prosiliebant ad altercandum de controversiis Religionis (cujusmodi Spiritu turgebat etiam* Henricus *hic,* Cantii Comes, *Stuartæ impugnator,): sub nomine* Swermerorum *eos passim exagitabat; ut etiam Sermonum Convivalium capite 36. fusè declaratur. Eos, tanquam* Inexercitatos *imperitósq;, & tamen, superbiâ stimulante, currentes, quò non mittebantur; acerbè, nec sinè sarcasmis, lacerabat: ut, Carlstadium, Zvvinglium, Thomam Münzerum, Oecolampadium, Campanum; aliósq;* logozelótas: *ut* ἀπαιδεύτους *eos, &* ἀνασκήτους, *subsannans; & urgens, ut,* Quod passim docere vellent, priùs accuratè diúque discerent. *In eóq; Sententiæ decreto perstitit, ad finem usque. Itaque, cùm anno 1546. die Februarii 18. Eyslebii, in palatio*

Maria Stuarta.

ſedéve Comitum Mansfeldiorum deceſſiſset, in cubiculo, ſibi aſſignatô: nonnulli familiarium ejus, jam eo defunctô, muſéum illius intrâ-runt; rerum ejus, ſcriptionúmq; reliquias inſpecturi. Statimq; in ejus chartaceum inciderunt monimentum hoc; in ſchediaſmate, ſolô biduô ante obitum, latinîs *his verbîs exaratum, & ſuper menſam relictum.*

I. Virgilium in Bucolicis nemo poteſt intelligere: niſi fuerit Quinque annîs Paſtor.

Virgilium in Georgicis, nemo poteſt intelligere, niſi fuerit quinque annîs agricola.

II. Ciceronem in Epiſtolis (*ſic præcipio*) nemo integrè intelligit; niſi Viginti annîs ſit verſatus in Republica aliqua inſigni.

III. Scripturas ſanctas ſciat ſe nemo deguſtâſſe ſatìs, niſi centum annîs cum Prophetis, ut Eliâ & Eliſæo, Joanne Baptiſtâ, Chriſto & Apoſtolis, Eccleſias gubernârit.

Subdit his, laceſſitus (uti reor) per dies illos ultimos, ab aliquo generis ejus contentioſorum.

— Hanc tu ne divinam Æneida tenta;
Sed Veſtigia pronus adora.

Wir ſind Bettler. Hoc eſt verum. *16. Februarii, Anno 1546.*

Hanc Martini Lutheri ſententiam, ſic ad ver-

verbum in pagella solitariâ expressam, alicujus fortassis, (ut dixi) disputatoris importunitate recentî extortam ei; Joannes Aurifaber, Convivalium 1. capite, folii tertii paginâ alterâ, vidisse se, & exscripsisse; Justum verò Jonam, Superintendentem Halensem, adservâsse, tradit: testimonium quidem (nisi rhetorum hyperbolâ, & auxési, se defendat) contra auctoris ipsiúsmet Acta scriptáq; pugnaturum. Monstrat tamen abunde, De præcipitibus & ambitiosis doctrinæ sacræ novatoribus, & synagogarum curionibus, ultrò se ingerentibus, quídnam, etiam biduô pòst animam acturus, censuerit Islebii *civis hic; & suorum* Calypha: *Calvinianorum* Avus. (346) *Vide de his precibus Florim. Remond. lib. 6. hæres. pag. 342.* (347) *Idem, ibid. pag. 342. ad med.* (348) *Hanc,* ex animo factæ *remissionis laudem, ei Calvinianus quoq; Narrator tribuit, verbîs his:* Veniam & illi, & omnibus, qui *&c.* sincerè concessit, sicut à Domino sibi *&c.* (349) *De Petro, ad genua JESV procidente, S. Lucas habet cap. 5. v. 8. De Jairo, idem cap. 8. v. 41. De Magdalena, idem cap. 7. à v. 38. & Joann. 20. v. 17. è pictorum, & piorum, sententiâ. De cæco nato, Joan. 9. v. 38.* (350) *Sic enim & Narra-*

Maria Stuarta.

tio Londinenſis loquitur, pag. 91. princ. Spontè, lubentíque animô, *&c.* (351) *Orationem hanc Stuartæ totam*, in actu (*ut loquimur*) ſignato, *habet Narratio Londinenſis. pag. 90. fin. & pag. 91. ultra med. quam* in Actu Exercito *ego poſui: ſententiis & ſenſibus iiſdem hærens; non ſemper & verbis. Quòd autem &* Sanctorum Omnium *eo die petiiſe pro ſe* Interceſſionem, *idem Narrator Londin. ait; quis dubitare pius poteſt, quin ſignatè præ omnibus* Mariæ, *glorioſiſſimæ Dei matris, & Virginum-Virginis, ceu* Reginæ Sanctorum Omnium, *meminerit regina Maria; Marianum, è cingulo, roſarium geſtans? Calviniſta hiſtoricus compendii (an aliâ quapiam?) cauſsâ, ſatis habuit*, Omnium, *dixiſſe.* In toto enim, & pars continetur. *cap. In toto, 80. de reg. Juris, in 6. & l. in toto 113. D. eod.* (352) *Calyptra, operimentum capitis mulierum, generale. Caläntica, operimentum capitis, in humeros demiſſum.* (353) *An trigeſimum? cujus idem eſt, cum Septuageſimo, verborum initium: & cujus verba verſu 6. ſunt illa, in quibus Stuarta precem clauſit, ac vitam*, In manus tuas commendo ſpiritum meum. *quæ verba pſalmus ſeptuageſimus non habet. Sed potiùs, numeris*

Roma-

Romanis expressis, Londinensis narrator psalmum ponit L X X. & non X X X. à quo recedendum ego non duxi. (354) *Hujus vocabuli, quod novatum videri possit, vis intelligetur, sicut & hujus supplicii imago tota illustrabitur, imitatione vivâ, ex Annalium Corn. Taciti libro 15. paullò longiùs à fine, post Seneca narratum interitum.* Pœna *Subrii* Flavii *(inquit)* Vejano Nigro, tribuno, mandatur *(ab Nerone.) Ab hoc Vejano* Flavius admonitus, fortiter protendere cervicem; Utinam, ait *Flavius*, tu tam fortiter ferias. Et ille (*Vejanus scil.*) multùm tremens, cùm vix duobus ictibus caput amputâsset; sævitiam apud Neronem jactavit, SESQUI-PLAGA interfectum à se, dicendo: *hoc est, uno ac dimidio insuper, ictu vulnereq; à se affectum fuisse Subrium Flavium tribunum.* (355) *Londinensis quidem Narrator ait, pag. 92. post med.* Utrâque manu, Securi eam BIS feriendo (*lictor*) caput præcîdit. *Aurô, vel gratiâ, corruptum dicas à carnifice. Cæteri namque, re posteà diligentiùs exploratâ cognitâq; de TRIBUS ictibus expressè tradunt: ut Florimundus, lib. 6. & Famianus Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 484. post med. & M.S. De pelvi argentea, nar-*

Maria Stuarta.

rat Remondus, paginâ 342. post med. (356) *Expende, quæ Londinensis narrat, pag. 93. med.* §. Nihil vestimentorum. (357) *Qui de Institutione, & nutricatu infantium, præcepta conscripserunt, observârunt;* Vinosis *principibus, qualis Tiberius, aut* crudelibus, *cujusmodi C. Caligula, & Nero, ac Domitianus, fœminas adhibitas, vitia pueris illa, ad quæ propendebant ipsæ, cum lacte instillantes.* (358) Catholica *namque* Religio, *Stuartæ reginæ fuit imposita pro* Crimine. *ut constat ex Narratione Londinensi, pag. 78. med.* Romanæ, ac Catholicæ fidei sectatricem *eam appellans, dum ad mortem eam refert produci jussam. Hîc exclamat Romuald. Scotus, pag. 79. med.* Et sanè, si verum fateantur Angli; Hæc sola mortis est caussa! (359) *Anonymi rerum Anglicanarum scriptoris, ex officina Nortoniana, in fol. vulgati anno 1616. in annum Christi 1536. pag. 58. post med. verba sunt de Bolenia hac.* Illa, tanquam è pulvere suscitata, & tantis honoribus à Rege cumulata. *&c. quippe, die Pentecostês anni 1533. publicè* coronata, pompâ, quâ nulla unquam Reginarum splendidiori, *ut loquitur idem auctor, pag. 52. ante med. quæ tamen post triennium deinde capite plexa*

plexa est. (360) *Eundem vide Anonymum, in annum 1535. pag. 56. ante med. de quibus & Sanderus, de Schismate Anglic. lib. 1. & alii.* (361) *Hi omnes enumerantur, in caussa stuprorum Boleniæ condemnati, & plexi; primum à Nicol. Sandero, & aliis orthodoxis. dein etiam, à Calviniano illo anonymo, suprà citato. ann. 1536. pag. 58. princip. & med.* (362) *Bernardinus Mendoza, Hispani regis legatus in Gallia, in epistola, ad Alexandrum Farnesium datâ, 1. Martii anno 1587. apud Stradam, pag. 483.* (363) *Narrator Supplicii: qui Londinensis; & sectâ Calvinianus. pag. 93. fin. & 94. princ.* (364) *Suetonius in Nerone, cap. 29.* (365) *Barnestapol. epistolâ ad Cardinalem Alanum.* (366) *Ezechiel. cap. 18. v. 21.* (367) *Narrationem vide Londinensem, pag. 93. med.* (368) *Florimund. lib. 6. cap. 19. num. 6.* (369) *Idem, ibid. pag. 343. med.* (370) *Apocal. 14. v. 13.* (371) *Psalmo 83. fin.* (372) *Strada, decad. 2. lib. 8. pag. 485. princip.* (373) *Hæc partim Petrus memorat Possinus, parte 5. historiæ Societ. libro 4. à num. 22. partim, Joann. Nádasi, in Anno Dierum Memorabilium, die 16. Aprilis.* (374) *Job. cap. 19. v. 21.* (375) *Philippus Alegambe, in Mortibus Illustribus,*

anni 1594. die 3. Julii. (376) *Lucanus, Pharsaliæ lib. 9. ante fin.* (377) *Londinensis narratio Supplicii, pag. 93. fin. A. item Boudun, in Icone Stuartæ chalcotypicâ. Et res ipsa, supputatióque, docet, per annos ejus integros, ab ortu ductos, usque ad occubitum.* (378) *Gentis dialectô. vulgò, (& Latinis præsertim,) Stuarta, & Stuarti, increbuerunt, apud Scriptores passim, ipsúmque Buchananum.* Stuartorum *porrò, seu* Stovardorum *familia, cœpta est à* Waltero Banchoníade, *regni Scotici* ſtuartô, *hoc est,* Supremô Oeconomô, Censuúmque regiorum omnium collectore. *Buchanan. historiæ Scoticæ lib. 7. pag. 212. & 213.* editionis *Edimburgensis.* (379) *Anni Octogesimi Septimi Diem, rex posuit, Sextum Idus Februarii; Julianis è Fastis, Octavum Februarii. qui tamen, è Gregorianis numeratus; erat, & est hodie, Februarii decimus-octavus: seu, Duodecimus, ante Kalendas Martias. Cæterùm ex Annis Vitæ Stuartææ, quos ponit ipse Quadraginta Sex, primus, ac postremus, exiguam duntaxat suî particulam obtinuerunt. annus videlicet primus, Decembrem mensem; quantus à die septimo excurrit, in diem trigesimum primum. Annus verò postremus, Januarium, ac Februarii*

rii dies octodecim. Medii verò, inter primum & ultimum, anni; pleni *ſunt,* & *completi,* quadraginta quatuor. *Id ſupputatio facilè evincet, ducentibus nobis calculum ab anno 1542. cujus ſeptimo Decembris Stuarta nata eſt; uſq; ad annum 1587. cujus 18. Februarii eſt extincta. Vixit igitur, ad ſummam exactam perducendo Chronologiam ejus, Annos conſummatos,* Quadraginta quatuor, Menſésque duos, & dies Undecim. *Ut proinde nos, cum Auctoribus aliis, numeremus Annos,* QUOS *Stuarta vixit: rex autem,* IN QUIBUS *illa vixit.*

MARIÆ

Maria Stuarta.

MARIÆ STUARTÆ,
Viventis, ac Morientis,
ACTORUM
Breviarium.

I. Maria Stuarta, *cùm alioquin, ordine chronotacticô, non spectet ad Annum M. DC. XIV. cur nihilosecius ejus anni meritò fiat* Appendix; *indicatur.* A pagina 1.

II. *Mariæ Stuartæ ortus. Majorum claritudo generis. Matris ejus laus. Patris, Zelus antiquæ Religionis.* A pagina 2.

III. *Stuarta, morte patris, pupilla: mox tamen, & Infans, Regina Scotiæ declarata, & coronata. Puellulæ, pulcritudo incomparabilis, & jam tum spirare deprehensum in ea Catholicæ Pietatis studium.* A pag. 4.

IV. *Sexennium orsa vitæ, mittitur in Lotharingiam Maria. quo locô, præstantissimè educatur, & instituitur.* A pag. 5.

V. *Mar. Stuartæ, cum Francisco, Galliæ Delphinô, nuptiæ. Extincto socerô, regnum Galliæ, cum marito, adit. Sed eadem citò, vivis excedente virô, regni Gallici possessione decedit, in Lotharingiam. ubi Vidua aliquamdiu versatur.* A pag. 6.

VI. *Matris in Scotia morte, revocatur in Scotiam suam. ubi disturbata reperit omnia; unius scelesti culpâ.* A pag. 8.

VII. *Filiorum Jacobi V. regis, illegitimorum, pessimus, Jacobus Stuartus; re, & agnomentô, spurius: coactus, (& ideò resiliens,) monachus, ab Ecclesia quoque deficit;*

deficit; & Religiosos omnes persequitur. Mariam Stuartam odit. A pag. 9.

VIII. *Odii caussam spurius arripit, postulatam à sorore Stuarta Comitatûs dignitatem & possessionem: nec tamen impetratam. Murrayæ, in Scotia, Comitatus, prædescribitur.* A pag. 11.

IX. Dolore *repulsæ furiatus, Spurius; in omnia Sacra, sacratósq; homines, impetum capit: & captum, sævè exercet; cum suis impiorum catervis. Quem (ne omnia exscinderet) placatura Regina; demum ad vota sua evehit: imprudenter fortasse noxiéq; ; sed, ex Ingratorum deterrimo Ingenio (plerosque decipere solitò,) parùm tunc cognitô, visa excusabilis. Ingrati, erga beneficum, hominis, hypothetica pictura.* A pag. 12.

X. *Jacobus spurius, Murrayæ factus Comes, &, in se collatâ gratiâ, plurimùm abuti incipiens; hæresinque in Scotia magnopere ubique promovens; Mariæ sororis curas plurimùm gravat, & exacuit.* A pag. 16.

XI. *Regina Maria, scelere spurii fratris, & hæreseos invalescentis; ægrè habet, unde vivat: opibus sibi accisis.* A pag. 18.

XII. *Sacrorum, ac Sacerdotiorum, miserrimus in Scotia status. Episcoporum quoque res arctæ: & unius eorum, ab hæreticis non multò antè, cædes.* A pag. 19.

XIII. *Scotorum illius temporis sectariorum, erga Sacrosanctam Eucharistiam, impietas infandissima. Irrisor ejus, in Scotia, Buchananus; foris, impugnatrix Schurmanna, per scripta.* A pag. 21.

XIV. *Regina Stuarta, in privatum regiæ sacellum compacta, solô unico Sacerdote cogitur esse contenta. Multa, cum illo, indigna sustinet, à Murrayanis. Compellatur à Murrayo spurio, de regno sibi cedendo. Regni-Comitiorum assessu, & custodiâ prætorianâ, privatur: scelere*

scelere fratris spurii, Ingratitudinem *suam exercentis.* A pag. 23.

XV. *Tantis obsessa malis regina Vidua, secundas ad nuptias adjicit animum. quas, pro filiis, aut aliis sibi charis, diversi Principes ambiunt: ipsâ Virum, non nisi Catholicum, quærente.* A pag. 27.

XVI. *Matthæo igitur Stuarto, Leviniæ Comite, arctâ sibi propinquitate juncto, patriæ, unde exulârat, à se restitutô; filium ejus Henricum, Darlæi Baronem, sibi Sponsum designat: propter ejus præsertim egregiè Catholicum pietatis studium; & spem, reformandi sic Regni.* A pag. 29.

XVII. *Quocirca Sponsalia, cum Darlæo, Stuarta init. quæ, vindictæ lividâ cupiditate, legatione missâ geminâ, disturbare Elisabeta, Angliæ regina, conatur.* A pag. 31.

XVIII. *Hujus querelis, ac minis, insuper habitis, nuptiæ Stuartæ & Darlæi fiunt. Reges palàm proclamantur; frustra ringente, & absente, cum cæteris improbis, Comite Murrayo, spuriô. Spes è nuptiis his, pacati regiminis: nisi pacem postea turbæ intestinæ rupissent. Quarum in origine referendâ, sublesta Buchanani fides lectori fugienda.* A pag. 33.

XIX. *Georgii Buchanani, per transennam saltem, inspectio: nominatim, generis, ingenii, scientiæ, nobilitationis: ingratitudinis, in nobilitantem se: pravitatis morum ejus: &, suâmet confessione, Mendacis historiæ.* A pag. 35.

XX. *Buchanani Idolum, Jacobus Stuartus, Murrayæ Comes, producitur: A natalibus; à matre, multimodis infami: A Petri Rami nefariâ institutione. A seditioso in Scotiam reditu, & prodigentiâ.* A pag. 38.

XXI. *Murrayi spurii, insolentia; sacrilega rapaci-*

tati;

tas; cum Angla, fœdus instauratum: cum Ketha, nuptiæ; quarum profusissimis sumptibus illas, à Buchanano *immensas, sed falsissimas, in se congestas laudes, in extremo vitiat, & evertit.* A pág. 41.

XXII. *Eorum, quæ de improbitate duorum Stuartæ Infamatorum (Murrayi, & Buchanani,) dicta sunt, anacephaleósis.* Buchanani *verò singillatim, maledicentia; digna omnium odiò, & ab auctore ipso recantata diris, exagitatur in cumulum.* A pag. 44.

XXIII. *Auctorum, è contrario, qui* Stuartam *laudant, ac tuentur, agmen, sat ingens. Post quos, Æmilii* Scauri *(accusatorem auctoritate sua refutantis) affertur exemplum;* Stuartæ *causæ non inconvenienter aptandum: exploso Stuartæ Momô recente, Teutonicè.* A pag. 46.

XXIV. Davidis Riccii, *Musici Sabaudi, patria, genus, ars harmonica.* Profectio *in Scotiam: singularis, apud Reginam, gratia; arcana consiliorum communicatio; &, ex hac, ob frequentem utrimq; conventum, livor, ac sinistri sermones invidorum: Murrayi maximè, factionisq; Murrayanæ. Suspiciones interim lævas refutabant, judices meliores; & res ipsa,* Ricciiq; *inamabilis forma: ejusq; pro* Darleanis *nuptiis, seria consilia.* A pag. 50.

XXV. Eandem purgabat, eodem tempore, lubricam *de Reginâ suspicionem, optimi cujusque, de moribus ejus, præclara existimatio: historiæ, legationes episcoporum; studia Summorum, erga eam,* Pontificum*; maximéque,* PII *Quinti.* A pag. 56.

XXVI. *Tam arctis in rebus, & hæreticorum in eam odiis, insidiisque assiduis; jam eminus ostenditur, Reginæ creberrimas cum* Davide Riccio *consultationes, unicè fuisse necessarias: ad rem* Catholicam*, exemplò Mariæ Anglæ, fulciendam, & instaurandam.* A pag. 60.

XXVII.

XXVII. *Occasione Festi Sanctorum omnium, sollemniùs à Regina Stuarta peracti; tumultuantur Puritani Verbi-Ministri: concitántque, adversùs eam, Scotiæ sectariam Nobilitatem.* A pag. 63.

XXVIII. *Affundit oleum isti flammæ, Jacobus Murrayus, spurius: sacrorum juxtà, regiorúmque expilationis sceleri, cum cætera Nobilitate hæreticâ, illigatus; ac sibi metuens, Reginâ Regiæ spolia sevère, meritóque, repetente. Quocirca Murrayus in ipsam, omne prædonum, Ecclesiasticarum quoque opum, nomen concitat; tanquam & ab ipsis rapta, mox pariter ablaturam; & Sacra vetera reducturam. Armatur, & confligit, Rebellio. Sed, cum duce suo Murrayo, profligatur.* A pag. 64.

XXIX. *Demonstratur, per singulos, breviter, & summatim; Nemini tunc Scotorum, successu stabili, fidere Stuartam potuisse.* A pag. 68.

XXX. *A Scotis ergò transeundum ad Sabaudi (Davidis) fida consilia, periclitanti reginæ fuit: utpote, cujus viri invicta prudentia sola Murrayi scelestis artibus prævalitura esset.* A pag. 69.

XXXI. *Sed prævénit Davidem, Scotorum, (admixtis Anglorum consiliis) adversùs eum internecina rabies, & Conjuratio. Cujus principes nominantur; & in capite, Rex Darlæus ipse: quem Ruvénus quidam, calumniis suis, accendit in necem ejus, ceu Contemptoris Scotorum, ipsiúsque Regis. In hoc, ánnon immodicus fuerit Riccius; & ideò nonnihilô improbandus?* A pag. 71.

XXXII. *Suspicione, perperam zelotypâ, accensus à Ruveno, rex Darlæus; mortem Riccii, juramentô quoque sancit, illicò inferendam.* A pag. 74.

XXXIII. *Apud Reginam gravidam, cum Riccio, & matrona conjunctissimâ, cœnantem, somnium, instantis sibi*

ſibi necis, Riccius narrat : & eluditur. In eum interim Sicarii, ſtant congregati. A pag. 75.

XXXIV. *Hi, ductoribus Rege Darlæô, & Ruvenô, tandem (& improviſi) ſuper cœnam irrumpunt. Riccium, reginæ manibus evulſum, extrahunt : plagisq; innumeris, etiam Rege percuſsore, confodiunt. indignâ cæde.* A pag. 78.

XXXV. *Poſt cædem, ad Reginam lamentantem Ruvenus impudens revertitur : eamque adversùs ſe, impudentiâ poſtulati inopini novâ, incendit : quæ hominis irreverentiam coarguit.* A pag. 83.

XXXVI. *At Ruvenus, ſatisfacere arguenti, parùm ſollicitus; in Reginam ultrò probra, minasq;, regerit : hæreſeos ſuæ ſpiritu temulentus, ac vecors.* A pag. 86.

XXXVII. *A diſceſsu Ruveni, Regina, ubi cœnârat, illic includitur ; denſis ſepta foris excubiis. Quæ, tot in malis, invocatâ ſuppliciter Numinis ope ; poſt paullùm ab ea recreatur : maritô rege ſacinus ſuum apud eam deprecante ; cùmque læſa, in gratiam veterem redeunte.* A pag. 87.

XXXVIII. *Rege Darlæo, fugæ ſociô, Scotique nobilis armatô miniſteriô deducente ; Regina, eluſâ cuſtodiâ, evadit in libertatem. Dumbarri, judicia exercet. Edimburgum reverſa, parit. Regnum, Darlæus, & ipſa, (ſuas uterque partes agentes, ſed reginâ attemperante,) pacatè adminiſtrant.* A pag. 91.

XXXIX. *Non autem multò pòſt, graviora præteritis mala ſtruuntur aulæ : quibus occaſionem præbet, nimia Reginæ lenitas, in extollendo fratre notho, Murrayo ; arcanis intimis, haud ſecus, ac legitimô, admoveri cœptô. regem quoque maritum, ſuprà, quàm unquam antehac, comiter habendo.* A pag. 93.

XL. *Unde, Rex, & Comes Murrayus, alter alteri ſcele-*

ſcelerum, in Reginam intentatorum, conſcius, ſuſpicionibus inter ſe graſsari, mutuam in perniciem, ordiuntur. Uter utrum inſidiis & vi præveniat; conſilia modóſq; volvunt: nimis apertè rex, & hinc, inutiliter: nimis tectè Murrayus, ac nequiter; ſociis ſibi conjurationis clam adſcitis, & ſilere gnaris. Eorum nomina: & conſiliorum, pro Calviniſmo Puritanô, ſcopus. A pag. 96.

XLI. *Rex Darlæus, in ædes, à Regia diſtinctas, migrat; corrigendæ valetudinis cauſsâ: quam morbus infeſtabat, Davidis Riccii, (ab eo, ſociisque cædis, furiosè confoſſi,) vindex futurus; lege talionis.* A pag. 100.

XLII. *Inſtinctu Murrayi ſpurii, (cædem regiam in diem illum prædicentis,) à Bothuelio, conſciiſque, Rex Darlæus noctu, cum puero miniſtro, ſuffocatur. tranſlatiſque aliò cadaveribus, mortis illatæ genus aliud ſimulatur; ab incenſo pulvere nitrato regis diverſoriò quaquaverſum diſſiliente.* A pag. 103.

XLIII. *Luget Regina. ſepelitur occiſus Rex. In auctorem necis inquiritur: & comprehenſus Comes Bothuelius, iniquitate Judicum (utpote, ſceleris participum,) immeritò abſolutus; redit à tribunali, cum ſpe certâ inſuper nuptiarum Reginæ viduæ: quippe, à Conjuratis ei depactarum; ſi regem tolleret.* A pag. 108.

XLIV. *Ejus pacti nefarii, inſciâ prorſus Reginâ initi, ſeries explicatur. Hoc Bothuelius urget; & conjurati, (duce Murrayô,) apud viduam evincere conantur: Bothuelii præſertim uxore, ſub idem tempus, divortiô, mox autem & obitu, à viro ſeparatâ.* A pag. 111.

XLV. *Murrayo, qui nuptias olim ſecundas reginæ ſorori diſſuaſerat, nunc & verbis, & epiſtolis, eidem etiam tertias, nimis quàm ſuadenti, & apud eam urgenti; Regina conſtans negat aſsenſum. Sed, ejuſdem inſtinctu, violenter in itinere à Bothuelio, ſatellitióq; armato, inter-*

tercepta, abducta, metu mortis adacta; demum ei nubit: ſub prævio Religionis orthodoxæ reſtituendæ pacto. A pag. 115.

XLVI. *Hoc Stuartæ factum, à pleriſque improbatum: à nobis, ſolâ ferè ſexûs imbellis inconſiderantiâ, maleſirmè fulcitur, & excuſatur.* A pag. 118.

XLVII. *A nullis autem novi ſponſi celeriùs, ac maledicentiùs, infamantur, & inceſſuntur, ſub nota incurſi Impedimenti Criminis; quàm ab iis ipſis, qui, ad nuptias illas, eos adegerant: Murrayô præſertim; qui cum ſuis id ipſum quæſierat, & tunc obtinebat: ut eos, tanquam Regis occiſi reos, populorum odiis & iræ objiceret. Decernuntur adversùs Stuartam Bothueliúmq;, & corripiuntur, arma: eáque, ſub vexillo, reginæ probroſiſſimô.* A pag. 121.

XLVIII. *Invicem & Regina, contractô adversùs rebelles exercitu, conſerere manum parat. Sed delenita precibus, ac pactîs, Kircadii cujuſdam; & Bothueliô ſe abdicat, & exercitu: venitque in caſtra hoſtium, tanquam jam pacatorum, inermis.* A pag. 124.

XLIX. *Verùm, decepta turpiter; à rebellibus comprehenditur: & Edimburgum captiva, ſub eodem illo probroſo, circùm eam volitante, vexillo, abducitur: in cuſtodiam primò urbicam, deìn paullò pòſt Levini lacûs feraliorem, retruſa.* A pag. 125.

L. *Super Stuartæ, dum illic ſedet, interitu, conſilia Procerum rebellium ineuntur. Anglæ reginæ ſuaſu callidô, differtur impendens ei malum: Stuartáque litteris ejus, & legatione, convenitur.* A pag. 128.

LI. *A Stuarta, poſcunt Proceres turbulenti; regni translationem in filium Jacobum, infantem: &, ut pueritiæ regiæ tutores certi deſignentur. Ii nominantur: capita ferè ſeditioſorum.* A pag. 130.

LII. *Maria Stuarta regno Scotiæ sic abdicat se; ut protestetur; Nolentem, & coactam, id se facere. Comitiis Procerum, ejus hostium, dejecta regnô declaratur: Jacobus filius ejus, Rex promulgatur; Murrayus spurius, Prorex.* A pag. 132.

LIII. *Carcer Stuartæ, in lacûs Lævinii castello, durus; etiam, ob dominantem illic Murrayanorum fratrum, & matris, familiam; captivæ pleramque inimicam, & obtrectantem.* A pag. 133.

LIV. *Stuartæ miserias, & invidiam, adgravat, optima mens, eam eruendi, restituendique Regno, Archiepiscopi Joan. Hamiltonii: qui Comitiis, ex adversô, fidelioribus, sed successu tardioribus, Reginæ libertatem moliebantur. Dira interim, (etiam ob idipsum,) in carcere patiebatur, à plerisque subsidiis humanis deserta, regina.* A pag. 136.

LV. *Verùm, ità res & consilia gubernante* DEO, *Stuarta, die quodam, miro modô, casuùmq; varietate, deceptîs custodiis, è carcere, per puerum, in locum tutum educitur. quam & pedisequa mox subsequitur: frementibus interim frustra, nec retrahere valentibus, iis, qui captivam tenuerant.* A pag. 138.

LVI. *Extra lacum Lævinum excepta ab equitibus, suarum partium, armatis, Nobilitati circumjectæ ostenditur, & commendatur Regina. Conveniunt, ad dimicandum pro eâ, copiæ non contemnendæ. quarum ipsa ductrix est.* A pag. 142.

LVII. *Armatur eodem tempore, adversùs eam, in prælium, cum factione suâ, Murrayæ quoque Comes, Prorex. Quinam utriusque exercitûs præcipui fuerint ductores: Reginâ extra aciem interim tendere, & opperiri, jussâ.* A pag. 144.

LVIII. *Commissô, inter Stuartæ militem, & Murrayi*

rayi spurii, prælio: Stuartæus, acerrimè licèt pugnans, tamen superatur. Pro regina, gloriosè cadunt Hamiltonii multi. A pag. 146.

LIX. *Regina, cum superstitum comitatu fugiens; in itinere, varia, sibi salutaria, volvit animô. Ad Scotiæ Angliæque confinia, cum Proceribus, de ulteriore progressu, deliberat: ipsa verbis, & animô, in Angliam propensior.* A pag. 149.

LX. *Sed, argumentis compluribus dissuadens hoc, Archiepiscopus Hamiltonius, consentientibus ei nonnullis etiam Assessorum; contrariis rationibus, fugiendam demonstrat Elisabetam. Non auditus autem; apocham Dehortationis suæ poscit; aufert; abit: plus tunc credente pellacibus Anglæ epistolis, quàm cordatis Archiepiscopi sui verbis, Stuartâ; suum, in hoc, errorem aliquando defletura.* A pagina 152.

LXI. *Præmissis antecursoribus, Stuarta in Angliam, ad Elisabetam, sicut præda in palatum deglutituræ se bestiæ, festinat: relinquens Scotiam; deterrimô tunc, & diu postea, rerum in statu jacentem.* A pag. 157.

LXII. *In Angliam delata, secus prorsus, & sequiùs, ac sperârat, excipitur; circumclusa vigili custodiâ, trium rigidorum captivitatis suæ præsidum.* A pag. 159.

LXIII. *Horum infestissima, Elisabetha Anglica, adversùs Stuartam Comitia Eboracum cogenda curat. Ad ea, è Scotia evocat deterrimum quemque illius hostium, & accusatorum; duce accusationis, Murrayô spuriô.* A pag. 162.

LXIV. *Stuarta, è prima custodiâ Anglicanâ translata in aliam, Bortonam nomine, è Scotia voluntarios suarum partium Patronos accipit. quibus præscribit ipsa, quænam intrà septa, formulásque Protestationum, suam caussam agendam Eboraci suscipiant: coràm Murraya-*

nis, & *iis Quæsitoribus*, *qui Londinô quoque supervenerant*. *Actio cæsi Darlæi refricatur*. A pag. 164.

LXV. *Quoniam in oculis Reginæ prægnantis Rex Darlæus Secretorum ejus intimum* (*Davidem*) *ad necem protraxerat*, *suopte quoque pugione illatam* : *temporum illorum Jure-Consulti quidam contendebant*, *Eum*, *ceu Majestatis reum*, *tolli à Regina*, *jure non uno*, *potuisse*. *Non sublatum autem esse ab ea*, *constat*; & *probatum est* : *protractis in apertum genuinis Regicidis*; *eorúmque instinctoribus*. A pag. 168.

LXVI. Hi *Eboraci* (*Murrayus ac Mortonius præsertim*,) *palàm nominati*, *pressiq*, *à Stuartæ patronis*; *mirè fluctabant*, *solâ se negatione verbosâ defendere conati*. A pag. 171.

LXVII. *Sed Murrayum Harrisius baro*, *palàm potentérque convictum*, *confusúmque*, *cum cædis ejus sociis ad duellum insuper provocat*; *sed abnuentes*. *Nuptiarum Bothuelii*, *ac reginæ*, *auctorem Murrayum unicè fuisse*, *Harrisius ex ipsámet ejus*, *ad sororem reginam epistolâ*, *evincit* : & *pro tribunali vincit*. A pag. 173.

LXVIII. *Quòd Eboraci necdum eversa esset Stuartæ caussa*; *frendens Elisabeta*; *cupiénsque cum adversa famâ tam Scotiæ reginam*, *quàm Angliæ*, *conflictari* : *Scotos*, *Mariæ accusatores*, *ob ignaviam Actionis increpat* : *declarátque*, *nisi labefactatâ Stuartâ*, *nolle se à judicio recedi*. A pag. 176.

LXIX. *Morem gesturus Elisabetæ*, *Murrayus Prorex*; *in Scotiam redit* : *ut illic*, *quæstionibus novis*, *extorqueat testimonia*, *saltem falsa*, *in Stuartam*. A pag. 179.

LXX. *Scelestissimô verò quodam torquendi*, *falsósque testes adducendi*, *strategemate usus* : *nihil efficit Murrayus aliud*, *quàm*, *ut Stuartam Innocentem clament*, *etiam ipsi Darlæi-regis interfectorum ministri*; *jamjam morituri*.

Angli

Angli Quæsitores, Stuartam credunt, & prædicant, Insontem. A pag. 180.

LXXI. *Absolvit insuper eandem cædis maritalis, interfector ipse, Comes Bothuelius, in Dania multis post annis moriens; coràm Rege Dano, ac testibus.* A pag. 183.

LXXII. *Cur autem apud malè credulos complures, Regina Scotiæ Viricidii nihilò seciùs diu permanserit suspecta: caussam præbuerunt infamiæ, mendacissima Buchanani Scripta; à Murrayo potissimùm, ad Elisabetæ nutum, conducta in Stuartam. Unde commenta sua, cætera quoque sectariorum famosa scripta hauserunt: recusis aliquoties in Septemtrione Buchanani libris: sed non eô, quo digni erant, elogiô præmissô.* A pag. 184.

LXXIII. *Stuartam interim, ne suam ipsa caussam præsens ageret, ac purgaret (utì poscebant ejus Advocati) pertinaciter obstitit Elisabeta: suas, sed non ideò & æquas, ob caussas.* A pag. 190.

LXXIV. *Spem, custodiâ liberandæ Stuartæ, videbantur ostendere, nuptiæ inter Ducem Norfolciæ, & reginam captivam, ineundæ: sed, perfidiâ simulationéq; Murrayi, fallacem. Unde Norfolcio supplicium demum, Stuartæq; durior captivitas, enata sunt; Elisabetæ furore.* A pag. 191.

LXXV. *Spem liberationis aliam, & probabiliorem, Stuartæ ostendit, Murrayus, frater ejus spurius; repentè interfectus, & suum, in sororem, coactus furorem finire. Cædis hujus auctor, caussa, locus, series, referuntur.* A pag. 194.

LXXVI. *Super Murrayi excessu supremo, quid tradant, Gallus & Scotus, historici; sanè multùm inter se discolores. Sed Scoti fides, sui præjudiciô laborat.* A pag. 197.

LXXVII. *Murrayi morte non mitior effecta, sed ferocior, Angliæ regina ; mittit ad Scotam recipiendæ libertatis Conditiones : sed quibus (ac postremæ præsertim) annuere, Scota deterius morte censet ; & obfirmat. Exasperata graviùs inde, quàm unquam antehac, Angla : constituit, eam necare. Translata proinde, à carcere alio, in alium, Stuarta ; Fodringhámum demum abstruditur. ubi magnô, quà suô, quà cæterorum, in spiritalibus, ac divinis, profectu versatur : in Religione majorum immobilis.* A pag. 201.

LXXVIII. *Cùm, Consiliô suorum arcaniore adhibitô, tollendæ de medio Stuartæ facere decrevisset initium Angla : varias & ipsa comminiscitur, & ab aliis suggeri sibi patitur, ipsam occidendi Caussas. Quæ tamen ordinè refelluntur omnes.* A pag. 205.

LXXIX. *Insistitur eidem refutationi, adhuc plusculùm : venitúrq; sensim ad genuinam, necis ei inferendæ, caussam : quæ, Catholica fuit Religio, cujus propagandæ studiô unicè Stuarta flagrabat : exemplô Mariæ Anglæ.* A pag. 209.

LXXX. *Eam, ut propriam moriendi necessitatem in Stuarta, palàm urgebant hostes ipsius : &, Anglicani Parlamenti nomine, Accusator ejus publicus, verbis nimis quàm expressis. Infestissima verò Regina Angliæ, cum Proceribus (qui nominantur), à populo cædem ejus subdolâ stipendii bellici dilatione enundinantibus.* A pag. 212.

LXXXI. *Elisabetæ mandatô, gradus aliquot prævii fiunt, ad Stuartæ suprema tendentes. Pars magna ministrorum ei detracta. Lustrata, vacuatáque, scriptorum ejus scrinia. Ablata pecunia, vasáque, & ornamenta, pretiosa. Immissi, magnô numerô simùl, qui mortem ipsi (etiam ex epistola Anglæ) indicerent. Refixa*

fixa parietibus, ejus Insignia regia. Despecta, modis variis, ejusdem dignitas, à Custode arcis. Ipsa, nihilô segniùs Deo, precibus, & Patientiæ, inhærens. A pag. 215.

LXXXII. *Quadragesimæ initium intentiore, quàm unquam, religione colenti, Stuartæ Reginæ, post Februarii dimidium, à Judicibus, Londinô ad eam legatis, mors, in diem sequentem obeunda, indicitur. Iis, etiam eô adhuc articulô, ad defectionem ab Ecclesia Romana hortantibus, animô magno, linguâ promptâ, respondet.* A pag. 220.

LXXXIII. *Acceptâ mortis & sententiâ, & die; Maria Stuarta, diutissimè jam iis, qui sibi divina ministrarent, carens; suum primò Sacerdotem domesticum flagitat: quem, in vicino agentem, fraus Præfecti arcis arcebat. Eô negatô; petit fieri sibi saltem mystæ copiam, cuj peccata confiteatur. Id quoque (nec sine impiâ Catholicæ pietatis insectatione,) detrectantibus; mirificâ Stuarta facundiâ sic occurrit: ut Procerum unus exclamet, Necessarium Anglis esse, perire talem hanc Scotam.* A pag. 226.

LXXXIV. *Expedita tricis sectariis, regina Maria; refert in conclave se: dat litteras ad Sacerdotem suum; ejúsq; preces exposcit, & alia pia subsidia. Cœnulam sumit tenuissimam. Convocatæ dein familiæ; quid se postridie futurum sit, indicat. Flentibus, solatia suggerit: ac singulis munuscula partitur. Duabus retentis puellis, reliquam à se turbam emittit.* A pag. 231.

LXXXV. *Cum puellis geminis, retentis, excubat; precibus, & omni generi Pietatis exercendo, intenta: vigil semper, & de genibus supplicans.* A pag. 234.

LXXXVI. *Post noctis medium, ad Galliæ Regem scribit: & rem magni momenti poscit, pro gloria*

Dei. Post hæc, digredi jussis arbitris, SS. sumit Viaticum, pietate maximâ. Quis id enuntiârit? A pag. 237.

LXXXVII. *Sub auroram, revocatâ denuò familiâ pridianâ; resumit, & continuat, preces. Vestitur inter hæc; & sollemniùs. Conveniunt in arcem Judices; & spectatorum corona, in Aulam, futuro supplicio assignatam. Conventa semel iterúmve Regina, sed adhuc in precibus; post Judicii-demum-Præsidis urbanam admonitionem, alacris è penetrali suo, inter lacrymas suorum, ac valedictiones, prodit: ut moriatur.* A pag. 239.

LXXXVIII. *Descendens Regina, aulam versùs, ac rursus à Judicii præsidibus admonita necessitatis moriendi; placidè annuit: & morti propinquare pergit. In via, Melvino cuidam ad filium Jacobum, Scotiæ regem, suprema verba; rectéq; Scotiam regendi præcepta, mandat; cum protestatione, Qualis ipsa moritura sit. A Præsidibus, Sacerdotem suum denuò petens, & familiam suam, mortis spectatricem; postremum horum, nonnullâ sui parte, impetrat. à primo postulato, depellitur.* A pag. 243.

LXXXIX. *Aula supplicii, theatrúmque, quàm lugubrè instructa. Hanc intrans Regina Scotiæ, incredibili pulcritudine oculis omnium influit. quam venustatem commendabat & ipse cultus indumentorum, & symbola pietatis: quæ singillatim enarrantur. Theatrum scandentem, & tenentem, reginam, qui motus animorum exceperint. Ipsa immota, nec muta tamen, Catholicos affatur, ut comprecentur. iterantibus Caussas damnationis sui, ministris Angliæ, sedens ipsa, dignitate multâ, præbet aures, & patientiam.* A pag. 246.

XC. *Surgens demum; majestate sermonis haud timidiore, toties falsò sibi impacta, crimina majestatis, in*

Elisa-

Elisabetam admissa, negat fuisse. bina in Deum, interveniſſe, non abnuit; & dolet. quæ hic referuntur. Hæreticis, nimis Catholicam se, fatetur. A ſectarum propage, quantùm abhorreat, mox factô monſtratura. A pagina 251.

XCI. *Cum Miniſtro namque Verbi Calviniano conferre preces, & verba, conſtanter (ac meritò) refugit: futilia judicans talium ſolatia, canticáque, graculorum, in mortis aditu.* A pag. 254.

XCII. *Sectarii Conſolatoris, tacere juſſi, defenſionem latentem, ac partes quoque muniusque ſuſcipiens, Comes Cantii; ſuis cum cavillis, in Catholica pietatis inſtrumenta, reſpuitur & ipſe à Regina: contra Miniſtri Calviniani importunas interjectas ſupplicationes, Deo clariùs ipſa, meliûsque, variè, déque genibus, ſupplicante.* A pag. 258.

XCIII. *Surgens deinde, Carnifici, magnificè amicto, ſed demiſsè veniam injunctæ ſibi functionis roganti, veniam dat. denuóque multùm, pro ſe, próque diverſis aliis, ſonorè ſupplicans, & cœleſtium quoque ſuffragia invocans, morti ſubeundæ accingitur.* A pag. 262.

XCIV. *Detrahentes indumenta regia pediſequas, adjuvare volentem carnificem, repellit Regina: quæ, vice versâ, à carnifice repulſam fert, in alia re. Lamentantem in valedictione pediſequam, compeſcit, ac firmat. Genibus, animô magnô, denuò flexis innitens, Deúmque orans, flagitiosè decollatur: ſpectantium affectu non uniuſmodi.* A pag. 266.

XCV. *Querela auctoris, & innumeræ multitudinis piorum, de tam ſæva Reginæ Scotorum laniena: adversùs Anglam. cujus matri, itidem plexæ, clementior ictus obtigit; tametſi deteriora meritæ: nec ideò tamen Bolenianæ domûs probra, ſimilitudine ſupplicii cum Stuarta, deleturæ.* A pag. 270.

XCVI.

XCVI. *Terror, qui Elisabetam, super instante Stuartæ morte, concussisse fertur; malæ saltem illius Conscientiæ, meritissimúsque, terror fuit: animum ejus, in multis, & atrocibus, adversùs Stuartam admissis, accusantis. quæ referuntur; rigidum olim judicem expertura.* A pag. 276.

XCVII. *Judicii futuri, capital erit, ac summa delicti: Quòd Meliorem se, deterior Elisabeta, nullô jure, non occiderit modò, sed & ubiq; flagitiosè traduxerit, ac prosciderit. quæ tamen vel nocens, tam piâ vitâ mortéque cuncta expiâsset.* Cujus *Elisabeta cunctam* Sanguinis *aspergimem, cur aboleverit?* A pag. 279.

XCVIII. *Decollatæ Caput Stuartæ, à Carnifice palàm monstratum; cum faustis pro Angla votis. Corpus mortuæ, parùm officiosè curatum; quippe, à carnificibus: ac tardè sepultum; alienô locô.* A pag. 283.

XCIX. *Animam autem illius, cœlô receptam, maxima meritissimáque spes.* A pag. 287.

C. *Certè quidem longissimè major, ac potior, quàm de cognata ejus Elphinstonia, Ecclesiæ desertrice. Cujus, à morte, suî deploratio refertur; narratione, fide dignâ.* A pag. 289.

CI. *Quid autem post obitum evenerit Sturtono baroni, qui suffragio suô venerat in numerum eorum, à quibus condemnata fuerat Innocens hæc Scotiæ regina; percensetur fusiùs, à principio* Capitis *hujus, seu Numeri, usque ad finem. ubi, de* P. Joanne *Cornelio, viro sancto.* A pag. 292.

CII. *Gesta Londini, postridie cædis Stuartææ; publicô plausu. Anni Vitæ, Mariæ Stuartæ: tumulíq; Monimentum, ei erectum, à Rege filio.* A pag. 298.

Actorum Mariæ Stuartæ
FINIS.